

*MASTER  
NEGATIVE  
NO. 91-80065-4*

MICROFILMED 1991

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the  
“Foundations of Western Civilization Preservation Project”

Funded by the  
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from  
Columbia University Library

## COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

*AUTHOR:*

BOCKHOFF, BERNARD

*TITLE:*

EXPEDITIONIBUS M.  
AUREL. ANTONINI...

*PLACE:*

MONASTERII

*DATE:*

1868


Master Negative #

91-80065-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES  
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA



FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 1/1  
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB  
DATE FILMED: 6/26/91 INITIALS D.T.  
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT




**AIIM**

**Association for Information and Image Management**




1100 Wayne Avenue, Suite 1100  
Silver Spring, Maryland 20910  
301/587-8202



Centimeter



Inches



MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS  
BY APPLIED IMAGE, INC.

2940

874 No. 4

DE 78 (Lent)

Rome, Ancient

874  
28

**EXPEDITIONIBUS**

**M. AUREL. ANTONINI CARACALLI**

**ROMANORUM IMPERATORIS.**

**DISSERTATIO HISTORICA**

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

**AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS**

IN

**ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI**

AD

**SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES**

RITE IMPETRANDOS

**DIE XXVIII. MENSIS MARTII A. MDCCCLXVIII**

PUBLICICE DEFENDET

**BERNARDUS BOCKHOFF,**

GUESTFALUS.

**MONASTERII,**

**EX TYPOGRAPHIA FRID. REGENSBURG.**

**MDCCCLXVIII.**

VIRO HUMANISSIMO

**A N T O N I O T I L E N I O**

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

**SCRIPTOR.**



## PROOEMIUM.

---

In cognitione historiae imperatorum Romanorum versanti consilium mihi exstitit, quae ad M. Aur. Antoninum Caracallum pertinerent, ad fontium testimonia describere ac pertractare. Mox autem quum intelligerem, copiam universam longe transgressuram esse fines, intra quos opusculum coercendum putabam, ad solas imperatoris expeditiones operam meam conferre statui. Sed paene ab hoc quoque consilio deductus sum, quum partem aliquam quaestionis meae proxime tractatam esse inveni <sup>1)</sup>, ineptum ratus iterum eandem cantilenam canere. Accuratus autem dissertatione illa perquisita, non supervacuum esse intellexi, operam meam continuare, quum in rebus haud paucis ab auctore plane dissidere cogar. Hoc vero meo iure a me factum esse, ea, quae sequuntur, probatura spero.

---

<sup>1)</sup> Nisla, de bellis ab Antonino Caracallo in Germania et Sarmatia gestis annis 212—214, Vratislaviae, MDCCCLXVI. Dissert.

---

I.

*Antoninus fratre necato solus imperio potitus est.*

---

Septimius Severus post illa bella, quæ initium eius imperii perturbabant, complures annos in quietâ civitatis administratione consumpserat, donec extrema vita, nuntio ex Britannia allato provinciam a barbaris infestari, iterum pacis negotia cum belli commutavit. Quem quamvis et aetas et valetudo detinerent, tamen ipsi rei gerendae statuit interesse. Variæ quidem huius consilii causæ a scriptoribus afferuntur; at minus gloriæ cupiditate et periculi magnitudine et quod milites otio avocaturus erat, adductus esse videtur, quam eo consilio, ut filios Antoninum<sup>1)</sup> et Getam urbe educeret et vita assuesceret militari<sup>2)</sup>.

Hi iuvenes minime diligentiae respondebant, quam in eos educandos pater contulerat. Luxu enim urbano et consuetudine prava corrupti in omnes licentias ac libidines irruebant, atque ut vita dissolutissima sic iidem ludis gladiatorii et spectaculis nimis tenebantur. Huc adde, quod inter eos iam a pueris summa vigeat similitudo, quæ tantum aberat, ut morum et studiorum similitudine desineret, ut ea ipsa in dies magis irritaretur. Nam sive audiebant quid, sive conspiciebant, nunquam eiusdem erant sententiæ; itaque factum est, ut mox theatrum et circum et aulam in duas inimicissimas inter se factiones distraherent.

---

<sup>1)</sup> Puero ac privato nomen Bassianus fuit, ab avo materno ductum, (Aur. Victor, epit. 21) duravitque, donec Severus a. 196 filium octofere annos natum Caesarem declarari iussit, quo tempore ei pro obscuro hoc nomine illustre illud M. Aurel. Antoninus impositum est (Spart. Sever. c. 10 et 14). Solum hoc nomen et apud scriptores Graecos et in monumentis publicis legitur. Cf. Niebuhr, Vorlesungen über röm. Gesch. V, p. 356, not. 12.

<sup>2)</sup> Schlosser, Universalh. Uebers. d. Gesch. d. alt. Welt III. 2. 45.

Qua dissensione in summam coniectus aegritudinem pater quacunque quidem ratione conabatur filios ad concordiam reducere; sed nec admonitiones nec preces proficiebant. Neque plus eo effecit, quod, ut neutri magis favere videretur paresque eos inter se redderet, Getam quoque, ut antea Antoninum, participem imperii declaravit. Immo vero hac ratione intempestiva simulas magis etiam incendebatur, quum Antoninus natu maior suo se iure privari putaret <sup>1)</sup>. Gliscente ita magis magisque discordia Severus, de irruptione barbarorum certior factus, opportunam putavit sibi datam esse occasionem filios avocandi ab urbis luxuria voluptatibusque, quae inimicitias eorum tantopere incitarent; et anno 208 una cum iis in Britanniam profectus est <sup>2)</sup>. Ibi quidem contra hostes feliciter rem gessit, sed quod speraverat, fore ut fratres inter bella ac negotia a dissensione abstraherentur, ex sententia non processit. Immo vero Antoninus tum patrem etiam in maiores coniecit aegritudines. Stimulatus enim regnandi cupiditate eo progressus est truculentiae, ut quum fratris tum patris vitae semel atque iterum apertas insidias strueret. Justa severitas patrio superabatur amore, donec Severus maerore magis quam morbo consumptus Eboraci prid. Non. Febr. ann. 211 diem supremum obiit <sup>3)</sup>.

Jam moriturus filiis concordiam atque filios exercitui intimo commendaverat. Sed Antoninus, sibi soli imperium parare studens, illico patris voluntatem sustulisset, nisi milites, illius institutum melius recordati, utrumque fratrem imperatorem renuntiassent. Pari igitur potestate ornati nihil antiquius habuerunt, quam ut Romae a senatu populoque dignitatem suam comprobata viderent. Qua de causa, celeriter cum hostibus pace inita, quam primum ex Britania discesserunt. Commune vero imperium, quod vel inter fratres concordem non diu durasset, hos sic animatos in maiorem etiam discordiam vocaturum esse, manifestum erat. Ac ne in itinere quidem odium inveteratum latebat; nunquam enim iisdem utebantur deversoriis eademque mensa, quum, ne ab altero interimeretur, alter timeret. Quam

<sup>1)</sup> Gibbon, history of the fall and decline etc. Deutsch von C. W. v. R. I. p. 213.

<sup>2)</sup> Clinton, Fasti Romani, ad a. 208.

<sup>3)</sup> Ibid. ad a. 211. Dio 76, 14 u. 15.

ob causam celeriter quoque iter fecerunt, tutius se rati victuros, simulac Romam venissent. Eo reversi statim regiam inter se partiti sunt, custodiisque alter se ab altero tueri studebat <sup>1)</sup>. Quum autem intestina haec discordia mox omnes administrationis partes in perturbationem vocaret neque reconciliatio effici posse videretur, tandem consilium imperii inter fratres dividendi prolatum est. Quod propositum utrique pariter placuit ac revera effectum esset, nisi mater, ne pacto iniretur, omni studio restitisset <sup>2)</sup>. Rerum igitur conditione non mutata, veteres insidias agere fratres pergebant. Antonini consilium fratris Saturnalibus <sup>3)</sup> e medio tollendi Getae vigilantia impeditum est. Et quum exinde ad se tuendum uterque maiorem etiam curam adhiberet, intelligeretque Antoninus, vim apertam minus profuturam esse, per dolum consilium suum exsequi statuit. Itaque cum fratre in gratiam redire se cupere simulans matri persuasit, ut ambos ad reconciliationem in suum conclave vocaret. Postquam vero congressi sunt, una irrumpunt centuriones aliquot, antea ab Antonino comparati, qui Getam in sinu matris, quo confugerat, perfodiunt ann. 212, mense Febr. <sup>4)</sup>. Quo facto Antoninus, quamquam iam vesper erat, in castra contendit, ut quam primum praetorianos sibi conciliaret, quos Getae valde benevolos fuisse haud ignorabat. Hi vero, etiamsi adulationibus eius minus fortasse aures patefecissent, tamen magno effusoque dono, quod ille blanditiis addidit, resistere non potuerunt. Quibus conciliatis postero die in senatum se contulit, ubi vim vi propulsatam esse dicens facinus suum excusavit.

Idem ad commune odium, quod excitaverat, leniendum tum quidem concessit, ut Getae iusta funebria fierent. Sed tantum abfuit, ut diuturna lenitate scelus in oblivionem vocare studeret, ut mox ad omnes, quibus cum Geta societas fuerat, extinguendos sese converteret. Veteres rerum scriptores uno ore affirmant, occisos esse fratris amicos, libertos, servos, denique quidquid cum eo quaqua ratione coniunctum eique iucundum

<sup>1)</sup> Herod. IV. 1.

<sup>2)</sup> Id. IV. 3. 10.

<sup>3)</sup> Dio 77, 2. Saturnalia medio mense Decembri per complures dies celebrabantur. Cf. Lipsii Saturn. I. c. 3.

<sup>4)</sup> Dio l. c. Clinton l. c. ad h. a.

fuisset. Qua caede secundum Dionem viginti milia hominum periire et, ut Spartianus affert, eorum multitudo innumerabilis fuit <sup>1)</sup>. Quin longius in invidia processit. Ut enim omnia, quae fratris memoriam revocare possent, amoveret, eos etiam, qui solum nomen Getæ scripsissent aut pronuntiassent, morte multari, statuas patris destrui, monetas, quae eius titulo signata erant, conflari iussit <sup>2)</sup>. Sed tot tantaque scelera impunita non manserunt. Neque negotia publica nec voluptates malae conscientiae stimulos semovere poterant. Quare urbem, in qua quisque locus eum graviter accusabat, relinquere et diversas imperii partes visitando finibusque tuendis animum a rerum acerbarum cogitatione avocare statuit <sup>3)</sup>.

## II.

*Antoninus urbe relicta per Galliam ad Rheni ripas proficiscitur.*  
a. 212 p. Chr. n.

Primum omnium hoc loco quaeritur, quo tempore imperator urbe Roma egressus sit. In qua disputatione quum neque scriptorum nuntiis adiuvemur, et numi inscriptionesque levia tantum nobis indicia suppeditent, non mirum est, quod recentiores historici in diversas abeunt sententias. Alii <sup>4)</sup> enim, quum imperatorem an. 213 in Rheni ripa versatum esse, inscriptiones satis significant, eodem ipso tempore eum in illam regionem sese contulisse contendunt, alii <sup>5)</sup> contra profectioem eius in annum 212 transferunt. Placet tamen ex duabus his sententiis posteriorem praeponere, ad quam ut inclinem, quum ratione rerum iam prima parte anni sequentis gestarum adducor, tum inscriptione illa, quae in dextra Rheni ripa non procul a Franco-

<sup>1)</sup> Herod. IV. 6. 1. Dio 77. 4. Spart. Car. 4.

<sup>2)</sup> Dio 77. 12.

<sup>3)</sup> Herod. IV. 7.

<sup>4)</sup> Huschberg, Gesch. d. Allem. u. Franken p. 80. Stälin, Württemberg. Gesch. I. 66.

<sup>5)</sup> Wenck, Hessische Landesgesch. I. p. 15. Nisle I, c. p. 2.

furto inventa haud obscure confirmat, imperatorem iam anno 212 in illa regione versatum esse <sup>1)</sup>. Neque, quin hoc accipiat, prohibet numus ab Eckhelio <sup>2)</sup> ad ann. 213 allatus, quippe qui, tribuniciae potestatis anno non significato, eodem iure ad priorem potest referri, id quod doctissimus ille vir ipse l. c. concedit <sup>3)</sup>. Nec plus valet Clintonii <sup>4)</sup> sententia, qui propter multas per primam partem anni 213 promulgatas leges Antoninum ante mensem Augustum non putat urbem reliquisse. Nam si talibus causis in rebus per annos digerendis duceremur, nunquam fere liceret accipere, imperatorem ab urbe profectum esse, quum nec minus per sequentes annos plurimae leges „Romae“ datae inveniantur <sup>5)</sup>. Quod vero opponitur <sup>6)</sup>, cavendum esse, ne imperatoris praesentia in urbe nimis brevis intelligatur, quippe cui tot tamque magnifica opera attribuantur, (cf. Spart. Car. 9, Sever. 21, Aur. Victor epit. 21.) haec statim post Antonini reditum ex Britannia aedificari coepita esse possunt; atque etiamsi ante medium annum 212 perfecta non fuerunt, id quod propter amplitudinem eorum verisimile est, tamen omnino necesse non fuit, imperatorem molibus exstruendis inter-

<sup>1)</sup> Steiner, cod. inscript. rom. Danub. et Rheni, I. 310. n. 639.

IN. H. D. D. GENIO. SANCTO. M. AVREL. CL. POMPEIANVS.  
MIL. LEG. VIII. ANTONINIANAE. AVG. BF. COS. ID. IANVAR.  
IMP. D. N. ANTONINO. IIII ET. BALBINO. II COS.

Legio illa VIII stativa habebat in agris decumatibus, qui vocantur. Cf. Stälin l. c. 75. Beneficiarius dicitur miles praefectus alicuius favore ab obscuris militis gregarii ministeriis liberatus; nominabat se ex dignitate eius, cui haec liberatio debebatur, benef. legati, aut proconsulis aut, ut hoc loco, consulis, quem honorem imperator ipse per an. 213 gerebat. Cf. Pauly, Realencycl. s. v. Benef.

<sup>2)</sup> Doctrina num. vet. VII. 210. Inscriptus est numus: „Profectio Aug.“ Imperator paludatus stans vel gradiens, d. hastam tenens, pone duo signa militaria. De Wietersheimius (Geschichte d. Völkerw. II, 176) Eckhelii sententiam profert, magis tamen ad annum 212 inclinare videtur.

<sup>3)</sup> Sine ulla igitur causa Nisle l. c. 25 numum necessario ad ann. 213 pertinere opinatur.

<sup>4)</sup> Clinton f. R. ad ann. 213.

<sup>5)</sup> Haenel, corp. leg. indices p. 6, 7.

<sup>6)</sup> Pauly, l. c. s. v. Caracalla, quo loco Antonini profectio in a. 213 transfertur.

esse. Immo si Eusebii (chron. ad a. 245) nuntio fides habenda est, hoc demum tempore thermae Antoninianae, quae vocantur, confectae sunt.

Haud igitur multo post, quam Antoninus nefaria illa caede Romam miseris implevit, urbe egressus est ac Spartiano auctore <sup>1)</sup> primum Galliam petiit. Sed ad vetera scelera nova ibi adiecit. Qui qualem se tum praebuerit, idem auctor l. c. his verbis perscribit: „Atque ut primum in eam venit, Narbonensem proconsulem occidit. Cunctis deinde turbatis, qui in Gallia res regebant, odium tyrannicum meruit, quamvis aliquando fingeret se benignum, quum esset natura truculentus. Et quum multa contra homines et contra iura civitatum fecisset“, inde ad Rheni ripas sese contulit, ubi eum cum populis Germanicis bello implicatum mox inveniemus.

### III.

*Antoninus bellum gerit cum Alemannis et Cennis; Romam revertitur. a. 243 p. Chr. n.*

Per duo fere secula in rebus Germanicis omnino nobis ii tantum populi occurrunt, quos ex Taciti scriptis cognoscimus.

<sup>1)</sup> Spart. Carac. 5. Philostrati vit. soph. II. 32. Contra omnes fere, qui hac de re egerunt, (Tillemont, hist. des emp. Rom. Brux. 1712, III. 1. p. 204; Crevier, hist. d. emp. Rom. IX. 266; Muratori, Gesch. Ital. I. 603; Huschberg l. c. 81); Wietersheimius l. c. p. 176 Antoninum non Roma statim in Galliam, sed per Aquileiam ad Danubium ac, rebus cum Germanis gestis, demum in Galliam proficiscentem facit. Nititur in hac sententia verbis Herodiani IV. 7, secundum quem imperator Roma egressus ad Danubium indeque prorsus in Asiam sese confert. At haud dubie auctori hoc loco auctoritatem tribuit nimis magnam. Res enim cum Alem., Cennis, Marcom. aliisque populis gestas ne verbo quidem attingit itaque profecto talis existit, qualem se futurum ipse libr. II. extr. profitetur, sibi in animo esse, res tantum gravissimas proferre. Quare nuntius ille nihil aliud nisi imperatorem aliquo tempore Roma egressum etiam ad Danubii ripas pervenisse probat, minime autem illud Spartiani refutat.

Deinde tamen ab initio sec. tertii frequentia illa nominum passim evanescit et quatuor imprimis antea non audita in eorum locum succedunt, Alemanni, Franci, Saxones ad occidentem versus et in sinistra Danubii inferioris ripa sedentes Gothi. Ex his gentibus Alemanni Antonino imperante primum memorantur, inde autem ab hoc tempore per duo secula periculosissimos Romanis sese praestant hostes tantamque gloriam virtute sibi parant, ut vel tota Germania aliquando ex his Alemannia nominata sit. <sup>1)</sup> Quare non alienum esse videtur, priusquam res cum hac gente ab Antonino gestas exponam, pauca de eius initiis praemittere.

Qua ratione Alemanni orti sint, a scriptore Romano illius temporis, quo hic populus primum emerit, Asinio Quadrato, <sup>2)</sup> docemur, quo auctore non nova gens fuit, quae aliunde immigravit, sed diversarum nationum consociatione exstiterunt. Talem fuisse eorum originem, praeterea eo probatur, quod postea in complures partes divisos sese ostendunt. <sup>3)</sup> Etsi vero hanc de gentis origine sententiam omnes, qui hac de re egerunt, sequuntur, tamen de vi nominis illud Quadrati, Alemannorum vocem homines diversorum populorum significari, minime probant. Sed ne coniecturas a viris doctis <sup>4)</sup> in voce interpretanda prolatas enumerem, dubitationes, quas et ex nomine simplici litera „l“ scripto <sup>5)</sup> et ex vi primae syllabae petitas contra Quadrati nuntium proferunt, non tantum valent, ut sententiam auctoris aequalis ac fide dignissimi plane missam faciamus. Nam quod ad vocis scribendae rationem attinet, bene cogitandum est, illud nomen Romanos tantum fando audisse, id quod scripturam

<sup>1)</sup> Cf. Stälin, l. c. I. 116. Iam nunc Galli Hispanique hac appellandi ratione utuntur.

<sup>2)</sup> Agathias, hist. I, 6. „Οἱ δὲ Ἀλαμανοὶ, εἴτε χυρὴ Ἀσινίου Κοινοδρότου ἴεσθαι ἄνδρι Ἰταλιώτη καὶ τὰ Γερμανικὰ ἐς τὸ ἀκριβὲς ἀναγινωσκόμενον, εἰργαλιώδεις εἶσιν ἄνθρωποι καὶ μεγάδας καὶ τοῦτο δύνανται αὐτοῖς ἢ ἰσωνυμία.“ Asinius Quadratus, qui memoratur, circa an. 225 p. Chr. n. vixit. Uckert. l. c. III. p. 365.

<sup>3)</sup> Cf. Amm. Marcel. XIV. 10 XVI. 12. XVIII. 2.

<sup>4)</sup> Stälin, l. c. p. 116 not. Pauly, l. c. s. v. Alem. I. 699.

<sup>5)</sup> Nomen enim invenitur scriptum:

Ἀλαμαννοί, Ἀλαμαννοί, Ἀλαμβανοί,  
Alemanni, Alamanni, Alamani.

minus rectam facile provocare poterat. Quis autem plane ostendet, fieri non potuisse, ut prima syllaba illis temporibus in lingua adhuc inculta notionem „Allerlei“ habuerit?<sup>1)</sup>

Iam vero quaeritur, quae istae fuerint gentes, uno nomine in unius populi corpus confusae. Qua de re antequam disseramus, primum, quo loco illa Alemannorum societas exstiterit, exquirere necesse est, quum ex eorum sedibus conici possit, quae gentes, propriis nominibus depositis, in unum coierint. Si ad bella prima cum hoc populo gesta animum advertimus, elucet, praecipue e Moeni regione eum Romanorum fines vexasse. Ut Aur. Victor<sup>2)</sup> affert, Antoninus Alemannos prope Moenum amnem devicit. Etiam Alexandrum Severum eosdem hostes in iisdem invenisse regionibus, eo firmatur, quod, dum bellum parat, ad Moguntiacum interfectus est.<sup>3)</sup> Nec minus bella deinde gesta satis demonstrant, e regione illi oppido opposita praecipue hostium impetus profectos esse.<sup>4)</sup>

Itaque statuere possumus, Alemannorum societatem circa Moenum amnem ultra vallum Romanum esse exortam.<sup>5)</sup> De-

<sup>1)</sup> Wietersh. I. c. II. 208. Zeuss, die deutschen Stämme etc. p. 305, Luden, deutsche Gesch. II. 63 illam Quadrati nominis interpretationem recipiunt.

<sup>2)</sup> De Caes. 21.

<sup>3)</sup> Cf. Wietersh. I. c. 225.

<sup>4)</sup> Cf. Huschberg, I. c. 94. Stälin. I. c. 70. Zeuss. I. c. 307; 308.

<sup>5)</sup> Huschberg, I. c. 89; Stälin. I. c. 116; Zeuss. I. c. 309. De vallo sive limite Romano, quo agri decumates ad orientem versus continebantur, cf. Stälin. I. c. 79. Wietersh. I. c. 189. Ueckert, Geograph. d. Gr. u. Röm. III. 278. Valde errant, qui Alemannos in agris decumatibus exstitisse putant; (Tillem. I. c. III. 1 p. 206. Crevier, I. c. IX. 268. Caesar Cantu, allgem. Weltgesch. bearb. v. Brühl. IV. 632.) Nam illa terra erat pars imperii Romani (Tacit. Germ. 29) et homines Romanis subiecti eam incolebant. Alemanni contra non rebelles erant, sed hostes, qui inde ab hoc tempore eo irruebant eamque regionem expugnare studebant, ne commemorem, et lingua et legibus moribusque Alemannos se veros Germanos praestare. cf. Mannert, Geograph. d. Gr. u. Röm. III. 271. — In sedibus constituendis, quas Alemanni circa an. 230. obtinuerint, Nisle I. c. p. 4, 5 minus recte tabula Peut. nititur. Nam regionem, in ea „Alemannia“ consignatam, quae a Stratoburgo fere ad meridiem versus pertinet, Alemanni non illo incolebant tempore, sed potius inde ab exeunte seculo quarto, quum Burgundiones eorum sedes primas, circa Moenum sitas, occupaverant. cf. Stälin, I. c. I. 144. Wietersh. I. c. II. 370. 371. 372.

inde autem, adiunctis aliis gentibus, in omnes partes ac maxime meridiem versus se propagavit, donec initio quarti seculi agri quoque decumates in eorum potestatem perpetuam transierunt.<sup>1)</sup>

Quum igitur Alemannorum primae sedes in Moeni circuitu fuerint, ex gentibus illis, quae seculo secundo hanc regionem incolebant, eos compositos fuisse, pro certo haberi potest. Usipites, Caritni, Vargiones, Intuergi, quos Ptolemaeus II. 44 a „deserto Helvetiorum,“ inter Rhenum et Albam montem sito, uno ordine ad septentrionem versus enumerat, praeterea Marvingi, quos idem auctor in regione medii Moeni sitos indicat, magni huius foederis partes fuerint.<sup>2)</sup> Praeter hos etiam Tencteri, quos Ptolemaeus ad Sigam amnem habitare profert, Usipites, veteres finitimos, secuti ad Alemannos accessisse videntur. Neque a verisimili abhorret, eos imprimis, iam antea ob egregium equitatum laudatos, (Tacit. Germ. 32; Caes. de b. Gal. IV. 46) effecisse, ut Victor I. c. Alemannos ob miram equestrem artem celebrare posset.<sup>3)</sup> Quas gentes ad societatem illam transiisse, magis firmatur ea re, quod inde ab hoc tempore plane ex historia evanescent. Nonnullos etiam Chattorum atque Hermundurorum comitatus eodem confluisse, quin accipiamus, nihil est, quod obstat; cavendum autem est, ne totos hos populos in foedere illo versatos esse accipias.<sup>4)</sup>

<sup>1)</sup> Cf. Zeuss, I. c. p. 309.

<sup>2)</sup> Cf. Idem, I. c. 305.

<sup>3)</sup> Cf. id. ibid.

<sup>4)</sup> Ut Stälin, I. c. 116 Hermunduros, sic Schoepflin, Alsat. illustr. I. 376 praeter hos Chattos illi foederi adiungit. Sed ex fontibus satis elucet, Chattos universe ad Francorum societatem sese applicasse. Cum his enim aliisque gentibus, quas Francorum partes fuisse constat, eorum identidem fit mentio, donec quarto sec. exeunte evanescent et in Francorum nomen transeunt. Cf. Zeuss. I. c. 328. 333. 341. 342. 345, ubi locos, qui illam probant sententiam, citatos invenias. Hermunduri autem etiam Constantini imperatoris tempore supra Vandalos siti a Iornande c. 22 memorantur. Cf. Wietersh. I. c. 205 not. Etiam Wietersh. I. c. 204 Chattos Alemannis attribuit, sed ibid. 205, hac sententia reiecta, ad eam se convertit, nonnullos saltem comitatus illi foederi se adiunxisse. Nisle I. c. p. 6, ut demonstret, Chattos et Hermunduros Alemannis non adnumerandos esse, tabula Peut. teste nititur, nesio quibus causis adductus, quum illa nomina ibi omnino non inveniuntur. Cf. Wietersh. I. c. 372. not.



Quando vero hae gentes sui consociandi consilium ceperint, ac multo magis, quando singulae ad eam accesserint societatem, accurate constituere vix possis. Procul tamen dubio est, quin foedus illud Alemannicum, quod Aur. Victor l. c. iam „populosum“ praedicat et de quo Antoninus cognomen duxit, multo antea oriri coeperit, quam primum memoratur. Res vero inter Romanos ac Germanos gestas perpendentem non effugiet, consociationis initium paulo post bellum Marcomannicum statuendum esse. Saepe quidem Romani cum Germanis congressi erant, sed, irruptionibus horum aliquot exceptis, plerumque ea de causa, ut fines propagarent aut rebelliones sedarent. Hoc vero bellum quam diversum fuit ab illis! Per quindecim fere annos de imperio dimicanti imperatori, omnibus intentis viribus, vix contigit, ut fines servarentur. Et eventus! Mortuo illo Commodus turpiter bellum composuit, concessis sedibus, pecunia, largitionibus frumentariis. Quo belli eventu quid aliud effici potuit, quam ut Germanis persuaderetur, id quod iam antiquitus studuerant, veterem patriam cum alia ad occidentem versus sita, agros minus feraces cum iam cultis commutare atque omnia unitis viribus assequi se posse? <sup>1)</sup>

Ex quatuor igitur populis, qui per sec. III deinceps processerunt, Alemanni, ut iam dixi, primi cum Romanis arma contulisse perhibentur. Sed tres tantum scriptores huius belli mentionem faciunt, quorum Spartianus et Aur. Victor nihil nisi Antoninum illam gentem devicisse memorant. Atque eo magis dolendum est, quod ex Dione, quem in hac re perscribenda maiore usum esse diligentia persuasum habere possumus, modo fragmentum de medio tractum adhuc exstat. Ad quod quum hoc loco potissimum vocemur, verba, quae supersunt, integra afferam: „ὅτι ὁ Ἀντωνίνος ἐς τοὺς Ἀλαμαννοὺς στρατεύσας διέταττεν, εἴ ποῦ τι χωρίον ἐπιτήδειον πρὸς ἐνοίκησιν εἶδεν,“ ἐνταῦθα φρούριον τευχισθήτω.“ καὶ ἐπαννυμίας γέ τινας τοῖς τόποις ἀφ' ἑαυτοῦ ἐπανόμαξε, τῶν ἐπιχωρίων μὴ ἀλλοιουμένων οἱ μὲν γὰρ ἡγνύουν,

<sup>1)</sup> Magnum belli Marcomannici momentum bene Wietersh. l. c. II. 66 exprimit: „Tausend Jahre war Rom der Hammer gewesen, die civilisirte Welt der Ambos. Da schlug im Markomannenkriege zum ersten Male der germanische Hammer mächtigen Schwunges auf dasselbe; Rom ward von da der Ambos.“

οἱ δὲ παῖζειν αὐτὸν ἐδόκουν ἐξ οὗ δὴ καταφρονήσας αὐτῶν οὐδ' ἐκείνων ἀπέσχετο, ἀλλ' οἷς συμμαχήσων ἀφίχθαι ἔλεγε, τούτους τὰ τῶν πολεμιατάτων ἔδρασεν συνεκάλεσε γὰρ τὴν ἡλικίαν αὐτῶν ὡς καὶ μισθοφορήσουσαν, καὶ πᾶσαν ἀπὸ παραγγέλματος, αὐτὸς τὴν ἀσπίδα ἀναδείξας, ἐνεκνυλάσατο καὶ κατέκοψε καὶ τοὺς λοιποὺς περιπέμφας ἰππέας συνέλαβεν. Dio LXXVII. 13.

Haec Dionis verba nunc accuratius perquiramus necesse est, praesertim quum recentiores historici, qui ea tractaverunt, mirum in modum inter sese discrepent. Qua in re primum sententia Nislei, qui in dissertatione citata p. 26 not. IV de illo loco uberius locutus est, in iudicium vocanda esse videtur. In opinione enim est, verba: „ὅτι ὁ Ἄντ... τευχισθήτω.“ — ἐξ οὗ ... ἔδρασεν.“ sensum non habere et secum ipsa pugnare, quod sic, ut tradita sint, omnia ad Alemannos referantur, attamen priora eos hostes, posteriora amicos indicent. Quo iudicio nixus lacunas illum locum habere concludit, atque, ut ipsius verba afferam, hac ratione pergit argumentari: „Oportet enim in textu originali de duabus gentibus aliquid exstitisse, quarum altera amica, altera infensa erat Antonino; atque elucet, hanc (posteriorem) fuisse Alemannos, quod planis verbis dictum est: στρατεύσας ἐς τοὺς Ἀλαμαννοὺς. Haec habeo, quae contra dicam.

Primum omnium in scriptorum veterum interpretatione hoc tenere necesse est, locum ullum non prius esse mutilum putandum, quam ut sensum probabilem eruamus, omnino non possit fieri. Verum est, quod Nisle l. c. confitetur, omnia Dionis verba ad Alemannos esse referenda; neque tamen mutila sunt, neque inter se usquam repugnant. Error autem, in quo ille versatur, inde profectus est, quod, quid hoc loco verba: στρατ. ἐς τ. Ἀλ. valeant, perverse intellexit. Et enim non significant „quum Alemannis bellum intulisset,“ sed nihil aliud nisi hoc: „quum in Alemannorum agros cum exercitu profectus esset.“ Verbo enim „στρατεύειν“ haec inest vis: „expeditionem facere“ sive „cum exercitu proficisci;“ itaque στρατεύειν εἰς τινας (nomen populi pro terrae) „in aliquorum terram cum exercitu proficisci“ sibi volunt. Revera verba illa expeditionem in agros populi aut amici aut infensi factam significare possunt, quod στρατεύειν vox, quae vocatur, media est. Utrum autem intelligendum sit, ex nexu solo sententiarum cognoscitur. Ac

saepissime quidem, quia plerumque populus hostilis est, in cuius fines quis cum exercitu iter facit, „aliquibus bellum inferre“ verti potest elocutio; sed etiam altero sensu eam usurpari complures loci docent.<sup>1)</sup> Satis igitur elucet, illa Dionis verba eo sensu, quo Nisle vult, prorsus intelligamus nequaquam necesse esse. Verumtamen si hoc loco contextus rationem habebimus, eius interpretatio „quum Al. bell. int.“ plane reiicienda est. Dionis enim verba, quae sequuntur, satis ostendunt, Antoninum initio non hostilem in modum, sed quasi amicum in Alemannorum agros profectum esse. Quam sententiam primam haec: „τῶν ἐπιχωρ... ἐδόκουν“ haud obscure comprobant. Antoninus enim in Alemannorum agros profectus omnibus locis idoneis castella aedificari iussit, quae ex suo nomine appellabat, dum accolae minime hoc alieno animo ferunt; alii enim ignorabant, aliis autem ludere videbatur. At hostilem in modum si in Alemannorum agros irrupisset, num ea, quae ad ipsos subiungendos aperte respiciebant, ignorasset, quin etiam iocosa putasset? Minime, nisi insani fuissent. Facilior autem intellectu eorum est animus aequus, si Antoninus, quibus se auxilium latum esse simularet, ad eos pervenerat. Etenim aliter fieri non potuit, ut Alemanni praetermitterent, quid ille consiliorum moliretur. Quod vero iis, quae exposui, verisimillimum videtur, id plane ad veritatem adducunt verba: „ἀλλ' οἷς συμ... ἔλεγε,“ quibus quid aliud dictum est, quam Antoninum quasi amicum atque socium in fines Alemannorum venisse? Quae quum ita sint, verborum: „στρατεύσας ἐς τ. Αλ.“ interpretationem hanc: „in Alem. agros profectus“ solam in contextum quadrare dilucide apparet. Itaque omnia, quae Nisle a praesumpta opinione profectus, primis Dionis verbis Alemannos plane hostes declarari, coniciendo contulit, necessario collabuntur. Neque enim in contextu de duabus gentibus sermo est, neque harum altera Romanis infensa Alemanni, neque altera amica, in quam *συμμαχίῶν* vox ei spectare videtur, Chatti accipiendi sunt, sed omnia verba ad Alemannos respiciunt. Ceterum quod Chattotum in Romanorum amicitia versatos esse contendit, haec sententia argumentis ab eodem allatis, ut infra videbimus, parum probatur.

<sup>1)</sup> Xenoph. Hell. VI. 4. 17. VII. 1. 15. V. 3. 3.

Iam relinquatur, ut res ab Antonino cum Alemannis gestas ex mea verborum explicatione digeram. Haud dubie Romanos non fugerat, formidolosiores statum, quam unquam antea, Germaniam tum iniisse. Fortasse etiam iam proximo ante Antoninum tempore Alemanni irruptionibus ostenderant, quantum a se periculum imperio Romano immineret. Apud rerum quidem scriptores nihil invenitur, quod hoc affirmare possit; neque tamen, his tacentibus, prohibemur, ne illud pro certo putemus, quum in promptu sit, non quamque levioris momenti irruptionem literis consignatam esse. Verumtamen animum bellicosum si consideramus moresque Germanorum, quibus proprium erat, sanguine malle quam sudore comparare (Tacit. Germ. 11), proxime ad verum accedit, agros illos decumates, summo iam tum flore insignes,<sup>1)</sup> ab hostium incursionibus liberos non mansisse.<sup>2)</sup>

Non mirum igitur, Antoninum, rebus, quas attuli, in Gallia gestis, ad agros decumates animum advertisse, ut hanc imperii partem, in periculo perpetuo versantem, tutam redderet. Neque tamen aperta vi hostium opes confringere studuit, sed, quae erat eius natura, per insidias consilium assequi conatus est. Quo in studio res ipsae Germanicae eum adiuvant. Ut enim illa Dionis verba: „ἀλλ' οἷς συμ. ἀφίχθ. ἔλεγε.“ indicant, Alemanni cum alio quodam populo in bellum implicati erant, quum Antoninus, causa praetexta, se iis auxiliatum venisse, in eorum

<sup>1)</sup> Cf. Becker-Marquardt, Römisch. Alterth. III. 1. p. 93. Stälin, l. c. I. 71—113. Uckert, l. c. 272. 285.

<sup>2)</sup> Exstat apud Steinerum l. c. p. 136 n. 300 inscriptio Moguntiacae, expeditionem exercitus Germaniae superioris indicans, quae, nominibus consulum deletis, quum duorum imperatorum mentio fiat, ad Antonini Getaeque imperium, id est, ad an. 211 iure referri potest, qua re planius fit, cur Antoninus in hunc ipsum imperii sinum recta via contenderit. Lehne (cf. Steiner. l. c. not) eam ad Pupieni Balbinique tempus referendam esse censet, qua ratione commotus, non addit. Minus vero aptum hoc videtur, propterea quod Maximinus Alemannorum opes, quorum in fine legio XXII, quae inscriptione memoratur, stativa habebat, adeo fregerat, ut vix tam celeriter infestos sese praebuerint, et duo illi imperatores huic duos tantum menses superstites fuerunt, praeterea Pupienus summa inter Germanos illius regionis auctoritate praestabat. Cf. Herodian. VIII. 6. Huschberg, l. c. 94—102.



fines profectus est. Illud vero certamen qua re aut quomodo ortum sit, nescimus. Fortasse ab Antonino ipso conflatum erat, quo facilius per dolum Alemannos debilitaret, quae coniectura maiorem veritatis speciem accipit, quum eum eadem aut simili arte ad hostium opes frangendas usum esse expressis verbis, ut infra videbimus, traditum est. Iam vero quae illa fuerit gens, cui tum Alemanni hostes exstiterunt, item erui nequit. Nihil quidem obstat, ne suspicemur, illam gentem Chattos fuisse <sup>1)</sup>, quippe qui Alemannorum attingerent fines, atque, ut ex eo, quod Francorum societati se adiunxerunt, colligi potest, cum illis in similitate et inimicitia versarentur. Sed haec, ut dixi, coniecturae sunt neque fontium testimoniis possunt comprobari.

Antoninus autem bonam speciem, qua simulata Alemannorum agros intraverat, non servavit, sed mox verum suum consilium exsequi coepit. Ut enim partem huius terrae in suam redigeret potestatem et loca haberet munita, unde ad illos debilitandos rem gereret, omnibus idoneis locis castella aedificari iussit, quibus ex suo derivata nomina indebat <sup>2)</sup>. Alemanni

<sup>1)</sup> Nislei (l. c. 8 et 27 not. IV.) sententia, Romanis tum fuisse cum Chattis amicitiam, rationibus, quas affert, nequaquam confirmatur. Quam parvo enim iure ex eo, quod illi inter septendecim populos, quos cum Romanis in bello Marcomannico certasse a Capitolino in vit. M. Aur. Antonini c. 22 proditum est, non memorentur, illud colligi possit, unusquisque intelliget. Qua ratione accepta, gens quaevis Germanica, si modo non pugnabat adversus Romanos, amicitia cum iis coniuncta haberi potest. Altera vero eius opinio, Chattos post irruptionem imperio M. Aur. Antonini incunte factam (Capitol. l. c. c. 8.) largitionibus ad Romanorum partes perductos esse, non solum eadem licentia nititur, sed plane falsa est, quum nonnullis annis post hanc incursionem Didum Julianum eos debellasse legatur apud Spart. Did. Jul. c. 1. cf. Wietersh. l. c. II. 192. Huschberg l. c. 64.

<sup>2)</sup> Munitiones has in Chatterum finibus aedificatas esse, Nisle l. c. p. 11 vult, quae sententia frontibus adversis contra Dionem pugnat. Verba enim . . . *δέκταινεν, εἰ . . . τεχνοθῆτω*, tantum ad fines Alemannorum, qui proxime ante memorantur, referri possunt, neque a plerisque recentioris aetatis scriptoribus (cf. Huschberg l. c. 82, Stälin l. c. I. 67, Wietersh. l. c. II. 180.) aliter intelliguntur. Etenim si ad alterum ullum populum, cuius ante hoc Dionis fragmentum mentio facta esset, respicerent, necessario demonstrativum, quod ad eum relegaret, veluti *ἐν ἰσθμῶν γῆ* aut simile quid desideraremus. Alio in errore

autem inducti specie promissi auxilii aut rem ob Antonini vanitatem haud magni facientes, eius incepta in malam partem non acceperunt, sed aequo animo passi sunt. Qua re eos despiciens Antoninus mox, auxiliatoris persona deposita, manifestus hostis in eos saevivit. Copias enim Alemannorum ut minueret, eorum iuventutem specie delectus habendi convocavit convocataque a militibus circumveniri atque signo dato concidi iussit, dimissis praeterea equitibus, qui reliquos comprehenderent.

His hactenus uno tenore traditis, narratio Dionis interrumpitur. In alio, quod illud ipsum excipit, fragmento belli mentio fit cum Alemannis gesti. Ad quod, ut omnia, quae hac de re apud Dionem legimus, afferam, hic nuntius accedit: *ὅτι Ἀντωνίνος κατὰ Ἀλαμαννῶν ἐξορηγῆσας χροῖμασι τῆν δοκοῦσαν νίκην ἐποίησε* <sup>1)</sup>. Inter reliquos scriptores, ut iam dixi, Spartianus et Aurel. Victor belli Alemannici mentionem faciunt, quorum ille solum affert: . . . Alemannorum gentem devicerat <sup>2)</sup>. Nec multo copiosius est, quod Victori debemus: „Alamannos, gentem populosam, ex equo mirifice pugnantem, prope Moenum amnem devicit“ <sup>3)</sup>. Verba haec consentiunt inter se eo, quod rem ad pugnam inter Antoninum Alemannosque venisse indicant, quo nuntio illa ex Dione supra allata optime continuantur. Etenim ad quid aliud Antonini perfidum illud crudeleque factum Alemannos adducere potuit, quam ut arma caperent et hostem manifestum finibus expellere studerent <sup>4)</sup>. Prope Moenum amnem,

manifestissimoque versatur Mone (Urgesch. des Badisch. Landes II. 276) qui castella circa Aureliam Aquensem (hodie Baden) exstructa esse profert. Nam imperatorem non in terra Romana ea aedificari iussisse, Dionis verba satis demonstrant.

<sup>1)</sup> Cf. Script. vet. nov. collect. ab. A. Maio II. 230.

<sup>2)</sup> Spart. Carac. 10.

<sup>3)</sup> Aur. Vict. de Caes. 21.

<sup>4)</sup> Mirum est, quomodo Nisle l. c. p. 10 Antonino bellum cum Alemannis oriens faciat: Ut causam cum iis manus conserendi nanciscatur, Antoninus primum auxilio promisso Chattos amicos commovet, ut contra illos hostilia coeperent. Chatti deinde in agros Alemannorum irrumpunt, sed fusi fugatique in suos fines se recipere coguntur. Tum Alemanni bellum in Chatterum terram transmittunt atque ibi postremo Antoninus auxilium ferens Alemannos devicit. Quae partim plane ficta partim fontium testimoniis penitus contraria sunt. Alia ratione Huschberg. l. c. 82 res composuit. Quam-

ut Victor refert, cum Antonino congressi sunt. Qualis vero proclii exitus fuerit, scriptores dissentientes inter se memoriae

quam enim accipit, verba Dionis (lib. 77. c. 13): „ὄτι δ' Ἄνε . . . ἰδομένων“ ad Alemannos spectare, tamen, quae sequuntur, ad illos non refert, sed sic interpretatur, Antoninum in nonnullis regionibus, quae paulo ante fortasse ab Alemannis occupatae fuerint, incolarum veterum defensorem se praebuisse, quos mox despiciens hostilem in modum tractaverit. Idem tum pergit crudele illud Antonini factum narrare. Haec vero sententia verbis Dionis non respondet. Nam pronomem αὐτῶν (ἢ οὐδὲν κατὰφ. αὐτῶν) ad Alemannos, de quibus proxime ante sermo est, referendum esse, quis invenietur, qui neget. Facilius vocabulam ἰκείνων offenderit. Sed etiam ἰκείνων eosdem, quos αὐτῶν, significat, id quod neque ratione grammatica refellitur et sententia postulat. Saepissime enim ἰκείνος sicut οἴτος adhibetur, ut res vel persona eadem, quae iam pronomine αὐτός inducta est, efficacius insigniatur. Cf. Krüger, Griech. Gramm. §. 51. 7. not. 10. Clarius clucebit, si vernacula redduntur verba: Er begann sie deshalb zu verachten und schonte auch jener nicht einmal, scil. welche ihm Freund waren und ihn als Freund behandelten, id quod paulo ante et statim post profert scriptor. Quia enim pondus inest in persona, qua non abstinuit Antoninus, id quod particula οὐδὲν (nequidem) ostendit, laudquaquam fieri non potuit, ut scriptor, quamquam statim ante personam commemoraverat, eam pronomine repeteret οὐδὲν ἰκείνων. Ceterum hic Huschbergii error et ipse ex verbis: σιγατ. ἰς κ. τ. λ. profectus esse videtur, quorum de interpretatione satis supra disputavi.

Aliter Wietersh. l. c. II. 212 seq. Antoninum cum Alemannis in pugnam vocavit, qui ea ductus est opinione, illos in duo divisos agmina in agros decumates irrupisse exercitumque primarium hanc regionem a septentrione ad Danubium superiorem versus peragrasse. Qui quomodo haec e fontibus eruere potuerit, ego non intelligo neque ullum historicum recentiorem talia elicuisse invenio. Ab illa sententia profectus idem l. c. opinatur, Antoninum id tantum consecutum esse, ut occidentales regiones agrorum dec. in Romanorum potestatem rursus redegerit. Quo facto sibi ait verisimile videri, castella, quae imperator exstrui iusserit, ad Nicrum sita fuisse, unde porro effci posse putat, inter illud flumen limitemque quae Romanorum fuerint, in Alemannorum possessionem cecidisse. Quae Wietersheimii coniecturae, quum ne levissimis quidem fontium testimoniis nitantur, plane reiiciendae sunt. Nam quod castella illa mediis in Romanorum finibus exstructa esse putat, haec opinio verbis Dionis, ut supra ostendi, plane repugnat. Iam vero Romanos iam tum partem agrorum dec. perdidisse, Nisle l. c. p. 27 not. V. suo iure falsum iudicat, quamquam inscriptio ab eo allata, quae haud procul a

tradiderunt. Etenim ex Dione cognoscimus, Antoninum auro victoriam redemisse, quum Spartianus et Victor eum devicisse Alemannos contendunt. Itaque quaestio existit, utrum illi an his maior fides habenda sit.

Neque vero dubium esse potest, utrius verba hoc loco sequenda sint. Nam si fidem horum scriptorum respicimus, Dionem auctoritate plus valere manifestum apertumque est. Litteris enim consignavit in rebus Antonini enarrandis, quae ipse viderat, aut ab iis, qui interfuerant, acceperat. Atque ut iam ea de causa Spartiano et Victori, viventibus quarto demum seculo, praefendus est, sic multo etiam magis, quod praeterea summo veritatis studio imbutus erat. Quam maxime potuerit, se vera indagasse atque protulisse, ipse affirmat<sup>1)</sup>, et quod pollicitus est, hoc ubique praestat, ita ut viri docti in iudicio de eius fide omnes ad unum consentiant<sup>2)</sup>. Longe aliter de Spartiano existimatur. Qui quum in numero sit eorum, qui vulgo scriptores historiae Augustae nominantur, in eum quoque convenit gravis illa Heynii sententia: „Certe ii, qui supersunt, appellati vulgo scriptores historiae Aug. tanti nominis laude indigni nec pro historiarum scriptoribus habendi sunt; epitomatores sunt et compilatores eorum, qui tamen nec ipsi historias scripsisse dicendi sunt; non enim nisi rumores vulgares in litteras redegerant“<sup>3)</sup>. Pari ratione de eo Bernhardt<sup>4)</sup> iudicat, qui nec meliora de Victore censet<sup>5)</sup>. Haec autem iudicia quam iusta veraque sint, nemo persuasum non habebit, qui primis,

Hedernheimio inventa est, non penitus illud Wietersheimii refutat, quum ex ea id tantum eliciatur, certe usque ad Alex. Severi tempora Tauni regiones Romanorum fuisse. Cf. Steiner l. c. I. p. 304 not. 633.

At equidem invenio l. c. I. p. 40 n. 59 inscriptionem Oehrिंगianam, pertinentem ad annum 222, qua, quia is locus a media Nieri parte ad orientem versus prope limitem ipsum (cf. Stälin l. c. p. 85) situs est, confirmatur, terram inter Nicrum ac limitem sitam usque ad tempus Alex. Severi in Romanorum potestate fuisse.

<sup>1)</sup> Cf. Dio 72. 18. extr. 75. 7. 80. 1.

<sup>2)</sup> Cf. Fabricius, bibl. graec. V. lib. p. 141. Reimar., de vit. et script. Dion. §. 20. p. 1540.

<sup>3)</sup> Censura sex script. hist. Aug. in opusc. acad. VI. 58.

<sup>4)</sup> Gruodr. d. röm. Lit. p. 708. Braunsch. 1865.

<sup>5)</sup> l. c. p. 711. Cf. Fabricius, bibl. l. c.

ut aiunt, labris eorum opera gustaverit. Omnia enim promiscue effundunt, perturbant, repetunt atque iterant; quin etiam res maxime inter se repugnantes inter se coniungunt, ut iure eos omni rerum scriptorum virtute carere iudices. Est autem in historiarum fide res maximi momenti, ad auctoritatem testis animum diligenter advertere. Quare miror, quomodo Nisle<sup>1)</sup> ea de causa „quum Spartianus et Victor aperti et perspicuis verbis hanc victoriam renuntiant“, quod Dio refert, fictum credere potuerit. Nam quod idem dicit, Dionem pro suo in Antoninum odio rem ipsi bene cognitam per obtreactionem false attulisse, mihi iniuria, argumentis non additis, scriptori maxime auctoritatis fidem abrogare videtur. Neque enim Antonini vitam moresque apud Dionem in peius descriptos videmus, quam apud Herodianum et Spartianum. Atque profecto, quibus in locis, qui pauci sunt, Herodianus cum Dione dissidet, in his ipsis a viris doctis Dio fide habetur dignior<sup>2)</sup>. Iam vero quod Nisle ad eius auctoritatem infirmandam numos<sup>3)</sup> et inscriptionem<sup>4)</sup>, quibus imperator ob victoriam Germanicam laudatur, attulit, bene cogitandum est, minime hoc fontium genus in imperatore tantae vanitatis valere, ut Nisle l. c. ipse confitetur. Senatui enim praetermittendum non fuisse, quin Antonini victorias quamvis simulatas illustrari iusserit, nemo ignorabit, qui animum adverterit, ad quam humilem servilemque adulationem prolapsus sit. Immo vero haec ipsa res, quod Dio ab hac publica victoriae laude discrepat, eius fidem confirmare mihi videtur, quum hac adulatione non seductus vera investigaverit ac memoriae tradere voluerit. Quibus perpensis nuntio Dionis, Antoninum auro victoriam redensisse, fidem denegare non possum<sup>5)</sup>.

Rebus cum Alemannis ita compositis, Antoninus quasi victor eorum fines reliquit neque quidquam antiquius habuit, quam ut

<sup>1)</sup> l. c. p. 29 not. VIII.

<sup>2)</sup> Cf. Reimar. ad Dion. lib. 76. c. 3. not. 18. 20.

<sup>3)</sup> Eckhel. l. c. p. 209.

<sup>4)</sup> Steiner l. c. I. p. 4. n. 6.

<sup>5)</sup> Ludenius l. c. II. 62, qui illum Dionis locum supra citatum non respexisse videtur, iam verbis cap. 13 lib. 77: „ὅ μίντοι καὶ τὰ Κελ. . . . δειλότατον αὐτὸν ἐξήλεγξεν ὄντα“ in sententiam adducitur, belli Alem. exitum Romanis prosperum non fuisse.

literis victoriam Romam nuntiaret. Quibus allatis, senatus officiosus eum Germanici et, si Spartiano fides habenda est, Alemannici cognomine ornavit<sup>1)</sup>.

Expeditionis illius Alemannicae eventus ut Antonino bellandi cupiditatem exstinxisset, tantum abfuit, ut statim novas pugnas moliretur. Quas autem res deinde gesserit aut quo loco et quibuscumque congressus sit, tam parce obscureque traditum est, ut vix aliquid certi ex fontibus erui possit. Ex Spartiano cognoscimus, imperatorem deinde iis gentibus, quae ab Alemannis ad meridiem versus praeter limitem sedes habuerint, arma intulisse. Atque in eandem regionem haud dubie Xiphilini, qui Dionis libros excerpsit, revocamus verbis, quibus traditur Antoninum cum Cennis bellum gessisse<sup>2)</sup>. Accurate autem huius gentis sedes circumscribere difficillimum est, quia praeter illum Dionis

<sup>1)</sup> Spart. Car. 10. Etsi numis inscriptionibusque modo cit. non nomen „Alemannicus“, quod monumenta publica omnino non iactant, sed „Germanicus“ affertur, tamen hoc iure ad res cum Alem. gestas referri potest. \*Scriptores enim ipsi haec nomina etiam multo post promiscue usurpant. Cf. Vopisc. in Procul. 13. Am. Marc. XVI. 12. XXI. 3.

<sup>2)</sup> De Cennorum gente sententiae virorum doctorum valde inter se discrepant. In quibus sunt, qui hoc nomen per errorem in textum irrepsisse crediderint, neque hoc loco Cennos, sed Chattos intelligendos esse. (Huschberg. l. c. 83. 84, Schoepfl. l. c. I. 377, Zeuss l. c. 327.) Ad hanc sententiam eos adduxerunt fragmenta, quae exstant, Dionis, (cf. Vales. excerpt. ex collect. Constant. Porphyrog. p. 749) in quibus, quod de Cennorum mulieribus (Dio lib. 77. c. 14) memoratur, idem de Chatterum traditum est; pro „τοῖτων αἱ γυναῖκες“ enim legitur: „τῶν Χάττων αἱ γυναῖκες“. Quos vero in errorem incidisse, haec mihi rationes demonstrare videntur: Non verisimile est, pro Chatterum nomine tam trito vulgatoque obscurum illud intrusum esse; immo vero facile fieri potuit, ut librarius quidam ignarus ignotum hoc nomen in Chatterum notissimum correxerit. Verba quoque „τινάς“ et „Κελτικὸν ἔθνος“, quae apposita sunt, satis indicant, non de Chattis, gente notissima, qui identidem iam antea, verbis illis non additis, memorati sunt, mentionem fieri, sed novum populum induci. Praeterea non ignorandum est, quam minime immanitas illa, quam Dio huic genti attribuit, ad Chattos, mitigatos iam Romanorum propinquitate, accommodata sit. II, qui Dionem accurate ediderunt, lectionem „Κέννοι“ genuinam veramque agnovērunt. Cf. Dio Cass. ed. Reimar. Sturz. Bekker. l. c. — Cf. Nisle l. c. p. 30, Stälin l. c. I. 67, Wietersh. II. 177.

locum nulla usquam antea certa fit mentio illius nominis et postea oblivione tegitur atque evanescit. Causa, cur tam plane haec gens e memoria recesserit, esse videtur, quod paulo post in dies crescente Alemannorum foedere hausta est <sup>1)</sup>.

Iam vero, qua re adductus Antoninus iis bellum intulerit, nulla nobis indicia produnt. Utrum sola gloriae cupiditate commotus contra eos profectus sit, an irruptiones antea in agros

<sup>1)</sup> Quod Wietersh. l. c. 179, 180, 212 putat, Cennos in Rhaetia iis locis, quae „St. Gallen“ circumiacent, habitasse, ibique ab Alemannis sollicitatos adiutosque Romanorum copias adortos esse, hanc sententiam, ad totam belli rationem minime aptam, secundum ea, quae supra de bello Alem. dixi, reiiciendam esse manifestum est. Atque etiam si a fontibus non tam plane aberraret, iam ob eam rem in dubium vocari posset, quod gens per duo secula Romanis subiecta imperatori ipsi arma intulisset. Cf. Huschb. l. c. p. 83, not. 10. Idem l. c. opinionem affert, nomen „Cenni“ a Dione allatum, non proprium fuisse certae genti, sed omnino Alpium superiorum incolas amplexum esse, quod usque ad hoc temporis in voce „Senner“ perduraverit. Quae nominis interpretatio ab omni verisimilitudine abhorreere mihi videtur. Ne afferam, iam illud „Κελτικὸν Ἴθνος“ quod nomini illi appositum est, gentem singularem indicare, neque facile ullum inveniri exemplum, quo probetur, literam „K“ in „S“ transiisse et vocabulum „Senner“ certum hominum ordinem significare, hoc respiciendum est, nomen illud ex verbo Teutonico mediae aetatis „sinnan“ originem ducere, cui inest vis: ziehen, wandern, et ex quo, litera „i“ ratione, quae vernacula lingua „Brechung“ dicitur, in „e“ mutata, „Senner“ existit. Cf. Sanders, Wörterb. d. deutsch. Spr. s. h. v. — In Flori epit. rer. Rom. IV. 12: Noricis animos dabant Alpes atque nives, . . . sed omnes illius cardinis populos, Breunos, Senones atque Vindelicos etc.“ pro „Senones“ nonnulli codices „Scennos“ (cf. Graevius, epit. l. c. not. 4) afferunt, quam vocem in „Cennos“ mutari Valesius (cf. Dion. ed. Reimar. l. c. not.) vult, praesertim quum haec lectio in Iornandis libro: de regn. success. c. 34, qui liber omnis fere ex Flori historia haustus est, inveniatur. Si revera lectio genuina est, Cennos hac ratione in Germaniam venisse, verisimile videtur. Ubi Tiberius populis circa Danubii fontes habitantibus bellum intulit, facile fieri potuit, ut Cennorum pars aliqua in montes, qui vocantur „Rauhe Alp“ confugerit. Inde postea, quum Romani agros decumates occupare inciperent, ad orientem versus sese receperint, et illic in orientali montium parte, quo loco, si Antonini expeditionem sequimur, quaerendi sunt, illam feritatem, qua eos imbutos fuisse Florus l. c. iisdem fere verbis, quibus Dio, memorat, reservaverint. Cf. Mannert, l. c. III, 275. Spruner, atl. ant. tab. VIII.

decumates factas ulgisci voluerit, an gens illa in eius odium inciderit, quod ad commune periculum avertendum iam Alemannico bello interfuerit, testimoniis tacentibus, explorari non potest. Postrema opinio eo adiuvatur, quod Cenni Alemannis et confines erant et cum his in societate quadam iam versati esse videntur. <sup>1)</sup> Melius tamen de progressu atque eventu huius belli docti sumus. Antoninus limite occidentali, qua parte ad Rhaetiam spectat <sup>2)</sup>, superato, in Cennorum agros irrupit ac magnam hominum multitudinem subito adventu concidit <sup>3)</sup>.

Deinde quum longius in interiorem terram procederet, hostes ex Germanorum bellandi ratione in silvas ac paludes se receperunt. Ibi loci natura confisi Romanis persequentibus sese obiciunt tantaque ira et ardore pugnant, ut multi telis Osdroenorum, qui exercitui Romano intererant, vulnerati non proelio cederent, sed dentibus sagittas e corpore evellerent, ne manus a caedendo abstraherentur. Qua re imperator commotus est, ut iter vertere statueret. At vero timens, ne reditu intercluderetur, cum victoribus egit, qui, magna pecunia accepta ei permiserunt, ut incolumis in agros decumates se reciperet. <sup>4)</sup>

<sup>1)</sup> Pauly, s. v. Cen. Nisle opinionem profert, Antoninum, amicitia cum Chattis dissoluta caedeque (quam Dio 77, 13 tradit) inter eos patrata, nonnullas horum catervas, ad Cennos trans Moenum tranfugientes persecutum itaque bello cum Cennis implicitum esse. Haec vero non solum mera est coniectura, sed ipsa fontibus plane repugnat, id quod belli Alem. tractatione satis docuisse mihi videor. Atque etiam si fontium ratione discedimus, iam per se addubitari potest. Chatti enim, quos auctor Antoninum persequentem facit, per fines Alemannorum, quibuscum, ut idem accipit, bello impliciti erant, ad Cennos confugere debuerunt, ne longe itinera, regiones incultas tempusque computatum memorem.

<sup>2)</sup> Agrorum decumatum altera pars provinciae Germaniae superiori, altera Rhaetiae attributa erat, quarum partium finis a Danubii fonte ad orientem versus usque ad eum locum limitis pertinebat, ubi eius partes, occidentalis et meridionalis, rectum fere angulum formantes conveniebant. Cf. Stälin, l. c. I, 86 seq. et not.

<sup>3)</sup> Spartian. Car. 5: „Circa Rhetiam non paucos barbaros interemit.“

<sup>4)</sup> Dio 77, 14. Auctor ibid. praebet „εις τὴν Γερμανίαν“ id est, in eam partem agrorum decumatum, quae Germaniae superiori adscripta erat, (cf. not. 2. h. p.) neque haec verba, ut Huschb. l. c. 85, Schoepfl. l. c. I. 377, Tillm. l. c. p. 207 volunt, de sinistra Rheni ripa intelligenda sunt.



Commeratione dignum videtur, quod Dio l. c. de Cennorum mulieribus, quae nihilo secius in Antonini potestatem venerant, tradit. Nam interrogatae, quid praeferrerent, mortem an servitutum, mori dixerunt se malle. Quum autem venderentur, perinde ac mulieres illae Cimbricae, liberis ante necatis, omnes sibi ipsae mortem consciverunt.

Quamquam eventus belli Cennici tam inglorius fuerat, Antoninus non intermisit, quin literas victrices Romam ad senatum daret. Haud enim dubie etiam ad hoc factum non minus, quam ad bellum Alemannicum multi illi numi et inscriptiones respiciunt, quibus ob victorias de Germanis reportatas celebratur. <sup>1)</sup>

In quem annum res cum Alemannis et Cennis gestae inciderint, recentiores historici minime inter se consentiunt. Alii enim haec bella anno 213, alii anno 214 attribuunt. <sup>2)</sup> Ex his vero sententiis sola prior teneri potest. Nam si ad numos, quos attuli, inscriptionesque infra citandas animum intendemus, neminem fugere potest, testimoniis his distincte prodi, Antoninum hoc anno in Germania versatum esse. Ac maxime miror, quod Eckhelius, qui ad numos hos explicandos affert, imperatori per hunc annum rei aliquid cum Germanis fuisse videri, indicia tam dilucida non ad illa bella retulit, praesertim quum iam sola temporis ratio talem rerum gestarum dispositionem necessario postulet. Nam quia imperatorem anno 211 exeunte Nicomediam pervenisse fontes cuiusque generis confirmant, si illas expeditiones in eundem annum transferremus, necesse esset, res per annos 213 et 214 distributas intra spatium septem fere mensium concludi. Quod vero omnino non posse fieri, nemo

<sup>1)</sup> Numi huius anni inscripti sunt: „Germanicus; Victoria Germanica; Minerva victrix; Venus victrix; Marti propugnatori.“ Cf. Eckhel, l. c. p. 209 seq. Cohen, description des monnaies, III. p. 375 seq. nn. 102, 109, 110, 352, 424, 430. Steiner, l. c. I. p. 4. n. 6. Ad eandem illam expeditionem Cennicam verba Spartiani (Car. 5) referenda esse videntur: „Et quum Germanos subegisset, Germanicum se appellavit, vel ioco vel serio, ut erat stultus et demens,“ quae postrema ad sententiam, quam Dio de belli eventu prodit, se acclinant.

<sup>2)</sup> Tillemont. l. c. p. 206, Crevier. l. c. 267, Clinton. l. c. ad. an. 214, Eckhel. l. c. p. 211 annum 214, Huschb. l. c. p. 80, Stälin. l. c. 67, Wietersh. l. c. II. 176, Nisle, l. c. p. 33, n. XI annum 213 accipiunt.

negabit, qui copiam consideraverit rerum, quae ab expeditione Alemannica usque ad id tempus, quo imperator Nicomediam advenit, gesta sunt.

His igitur bellis peractis, quae ante mensem Iunium accidisse verisimile est, imperator, quominus proximo tempore novas moliretur pugnas, morbo impeditus est. <sup>1)</sup> Quum enim in illis expeditionibus, ut solebat, perinde ac miles gregarius omnes labores subisset, <sup>2)</sup> vires corporis natura infirmi <sup>3)</sup> atque libidinibus enervati <sup>4)</sup> plane confectae erant. Sed magis tamen animo laborabat, qui, ut Dio <sup>5)</sup> affert, memoria scelerum ante patratorem horrendum in modum vexabatur. Quibus malis ut liberaretur, Apollinem Grannum et Aesculapium, qui in illis regionibus maxime colebantur, precibus hostiisque invocavit neque tamen auxilium consecutus est. <sup>6)</sup> Corpore autem mox adeo recreatus erat, ut Germanorum affinium, quorum fidem virtutemque aestimare didicerat, amicitiae operam navare posset. Multos enim in exercitum recepit, delectis ex his corporis commisit custodiam ipseque eorum mores ac vestitum imitatus est. Quibus factis atque haud dubie pecunia largiter data effecit, ut Herodiano auctore valde ab iis diligeretur. <sup>7)</sup> Sed fama huius liberalitatis dissolutae ignaviaeque ad remotiores quoque Germaniae gentes perlata erat. Si Dioni <sup>8)</sup> fidem habemus, a populis Oceano Albisque ori affinibus ad eum legati missi sunt, amicitiam initari, eo consilio, ut pecuniam acciperent; et quum his morem gessisset, multi alii venerunt, ipsi bellum minitantes, quos omnes argento sibi conciliavit. Quibus ex rebus ut elucet, quam miseram personam ille in illis regionibus gesserit, ita

<sup>1)</sup> Spart. Car. 5. Steiner l. c. IV. n. 2558. „(Templum d)ei Apollinis Granni (pro salute) imperatoris Marci Au(re)lii Antonini, pii felicis augusti germ. trib. pot. . . . consulis patris patriae (posuit) . . . Dio) nysius legatus augusti pro praetore (prov. Raetiae. Dedicatum die . . . ante) kalendas Junias.“ Cf. ibid. not. Dio, 77. 15. Nisle, l. c. p. 10.

<sup>2)</sup> Herod. IV. 7. Dio, 77. 13.

<sup>3)</sup> Herod. ibid. extr.

<sup>4)</sup> Dio, 77. 16.

<sup>5)</sup> Id. 77. 15.

<sup>6)</sup> Id. l. c. Steiner, l. c. nn. 716. 2554. 2558. 2559. 2564. 2565. 2566. 2701. Cf. Cohen, l. III p. 380. n. 141. 142. 143.

<sup>7)</sup> Herod. IV. 7.

<sup>8)</sup> Dio, 77. 14.

manifestum sit, quantopere imperii Romani dignitas lapsa iam fuerit apud Germanos, atque quomodo fieri potuerit, ut paulo post hostes tam atroces et fatales evaserint.

Dum Antoninus ibi versatur, aliquantum de civitate Aquensi meritis est. Inscriptiones enim ibi inventae magnam eius diligentiam laudant, quam ad vias in illius urbis circuitu muniendas contulit.<sup>1)</sup> Praeterea eum perhibent auctorem balnei publici, cuius reliquiae ibi adhuc exstant.<sup>2)</sup> Ad eas res instituendas et quia illa urbs iam tum propter aquas salubres notissima erat, imperator post expeditionem Cennicam diutius ibi valetudinis recreandae causa commoratus esse videtur. Atque a vero non aberrat, illam urbem talibus gratiae documentis tum adductam esse, ut loco nominis „civitas Aquensis“ in Antonini honorem illud „Aurelia Aquensis“ adoptaverit.<sup>3)</sup>

Rebus, quas attuli, in Rheni ripa gestis, Antoninus, aestate iam peracta, agris decumatibus decessit, titulis splendidis large praeditus, vera belli laude plane carens. Romam deinde revertit et triumphans urbem ingressus est.<sup>4)</sup> Quomodo ibi per hiemen sequentem rei publicae administrandae interfuerit, apud scriptores nihil relatum legimus. Numi testantur, eum largitionibus frumentariis populi favorem consecutum esse atque circensium, quibus a puero maxime deditus erat, studio indulgisse.<sup>5)</sup>

Modo dixi, Antoninum hoc anno Romam revertisse. Sunt tamen, qui imperatorem post pugnas cum Alemannis et Cennis factas statim per Thraciam in Orientem iter continuasse accipiant.<sup>6)</sup> Quam ob rem ad sententiam probandam pauca dicenda videntur.

Ex Spartiano<sup>7)</sup> cognoscimus, Antoninum aliquando novum

<sup>1)</sup> Cf. Steiner, l. c. II. n. 871, 891.

<sup>2)</sup> Ibid. n. 1672.

<sup>3)</sup> Ibid. II p. 4.

<sup>4)</sup> Ex numo id cognoscimus, cuius imago est: „Imperator in lentis quadrigis, dextra ramum tenens, sinistra scipionem cum aquila, coronatur a Victoria retro stante.“ Eckhel, l. c. VII p. 210. Cohen, l. c. III, p. 422, n. 436 cf. n. 151.

<sup>5)</sup> Numi proferunt circum Caracalli et celebrant eius liberal. VIII. quae in annum 213 exeuntem incidit. Eckhel, l. c. Cohen, l. c. p. 373, n. 92; p. 420, n. 417; p. 381, n. 153; p. 423, n. 439.

<sup>6)</sup> Wietersh. l. c. p. 181. Huschb. l. c. 85.

<sup>7)</sup> Spart. Car. 9. Sever. 21.

quoddam vestimenti genus Romam invexisse et inde Caracallum cognominatum esse. De eadem veste Aur. Victor tradit: Quum e Gallia vestem plurimam devexisset etc.<sup>1)</sup> Et hoc nuntio commoti viri docti vestem illam e Gallia in urbem delatam esse putaverunt.<sup>2)</sup> Haec vero sententia eo addubitari potest, quod non verisimile videtur, in Gallia tamdiu Romanis subiecta Romanaeque vitae ratione tam penitus assueta usque ad illud tempus vestem eiusmodi retentam esse, quae imperatoris curiositatem in se convertere posset. Huc accedit, quod verba Herodiani: „πολλάκις δὲ καὶ τὴν Ῥωμαϊκὴν ἀποθέμενος γλαμύδα ἠμφιέννυτο τὰ Γερμανῶν περιβλήματα „et Dionis: καὶ τινα ἰδίαν ἔνδυσιν βαρβαρικῶς πως κατακόπτων καὶ συρράπτων ἐς μανδύης τρόπον προσέξευρε καὶ αὐτός τε συνέσχεα αὐτὴν ἐνέδυσεν, ὥστε καὶ Καρακάλλος διὰ τοῦτ' ἐπικληθῆναι...“ id, quod Victor avertit, plane refutant.<sup>3)</sup> Nam ex his verbis, quae citavi, nihil erui potest, nisi hoc, vestem illam non a Gallis sed a Germanis sumptam esse, atque eo magis, quod Germanorum vestitum Dio et Tacitus eadem ratione describunt.<sup>4)</sup> Victoris autem auctoritas contra tales auctores gravissimos plane evanescit atque is aut omnino significare voluit, e qua regione vestis illa Romam deportata esset, aut, ut alii scriptores veteres, Germaniam ipsam nomine illo intellexit.

Itaque si quaerimus, quando Antoninus illam vestem in urbem importaverit, fieri non potest, ut annum 211, quo tempore e Britannia eum revertisse constat, intelligamus, quum eum in Germaniam tum discessisse non traditum sit, immo hoc referatur, fratres propter inimicitias Romam reverti valde festinasse.<sup>5)</sup> Necesse igitur est concludamus, imperatorem, post-

<sup>1)</sup> Vict. epit. 21.

<sup>2)</sup> Tillem. l. c. p. 198. Crevier, l. c. 222 cf. Salmasius ad Spart. l. c. I, 726.

<sup>3)</sup> Herod. IV. 7. Dio, 78. 3.

<sup>4)</sup> Dio, 49. 36: τοὺς χιτῶνας τοὺς χειρῶν τοὺς ἐξ ἰματίων τινῶν ἐς πάντας ἐπιχωρίως πως καὶ καταιίμοις καὶ προσεγορημένοις σιδήρεοις. Hunc locum citans ad Tac. German. c. 17 Lipsius addit: certum mihi est, describi nostram tunicam, . . . . veterum Germanorum et Pannorum ipsam vestem.

<sup>5)</sup> Herod. IV. 1.

quam anno 212 iterum Romam reliquerit, postea iterum in urbem revertisse et vestem illam invexisse. Quod vero ex scriptorum indicis conicere licet, id numis confirmatur, qui, praeterquam quod elogiis supra allatis elucet, Antoninum hoc anno cum Germanis rem gessisse, typis congiarū triumphī circensiumque eum sub finem anni Romae versatum esse indicant.<sup>1)</sup> Bene etiam cum hac sententiā verba Cassiodori coniunguntur, qui ad annum 214 caracallas vestes Romam delatas esse affert.<sup>2)</sup>

## IV.

*Antoninus cum Marcomannis, Iazygibus, Dacis Gothicisque arma confert; in Asiam traicit. a. 214 p. Chr. n.*

Antoninus partem tantam huius anni Romae versatus est. Animus eius inquietus, fastidium vitae urbanae atque imprimis admiratio rerum ab Alexandro magno gestarum eum quiescere

1) Cf. p. 26 n. 4 et 5. Tillemontius l. c. p. 205 quoque accipit, Antoninum anno 214 inente Romae versatum esse, nixus lege, dat. Non. Febr. Romae. Cod. Iust. VII. 16. 2.

2) Quod ad cognomen imperatoris, ab illa veste tractum, attinet, hoc loco pauca dicenda putamus. Scriptores veteres partim „Caracallus“ partim „Caracalla“ proferunt, quae eadem diversitas apud recentiores invenitur. Utrum praefendum est? Latini auctores, Aur. Vict. epit. 21, Eutrop. VIII. 20, Sext. Rufus, 21, Iornand. de reg. succ. 52. praebent „Caracalla“, Spartiano excepto, apud quem Caracallus legitur. Graeci contra omnes ad unum „Καράκαλλος“ afferunt. In his autem Dionis testimonium maximi est momenti, quippe qui non vixerit solum Antonini tempore, sed et familiarissime cum eo versatus sit, ita ut nomen nuncupet, quod fando ipse audivit. At obiciat, linguam Graecam impedivisse, quominus Καρακάλλια proferretur, quod prima declinatio non habeat vocabula generis masculini in „α“ exeuntia. Oppono: Dio „Καλιόλου“ vocem pronuntiat; (libr. 57, c. 5) cur non eadem ratione „Καράκαλλα“ reddere potuit? Pro explorato igitur haberi potest, Dionem „Caracallus“ tantum audisse auditumque ab eo pronuntiatum esse. Quod vero scriptores Latini, qui duo fere secula post Antoninum vixerunt, „Caracalla“ afferunt, inde profectum esse potest, quod, quam imperatoris memoria omnino fere evanisset, vestis autem illa, ut Spartianus l. c. affert, etiam in usu esset, ab

non siverunt.<sup>1)</sup> Hunc heroem sibi imitandum proposuerat; ut hic in Oriente belli laudem collegerat, sic ipse in iisdem regionibus gloriam sibi comparare in animo habuit. Itaque, ut ex copia rerum per hunc annum gestarum longisque itineribus colligi potest, iam primo vere Roma decessit ac Herodiano testante ad r. nubii ripas sese contulit.<sup>2)</sup> De bellis autem ipsis, quae suscepit, antequam Nicomediae hibernat, levissimis tantum indicis docemur. Herodianus ea ne verbo quidem attingit, neque quidquam de iis scimus, nisi quae a Spartiano et Dione obiter literis consignata sunt.

Ex iis, quae hic affert, elucet, imperatorem primum in Pannonia aliquamdiu versatum iterum in res Germanorum confinium se interposuisse. Quam vero rationem ibi caperet, eodem auctore ipse professus est, quum gloriaretur, Germanorum audaciam, vi non superandam, fraude se circumvenisse.<sup>3)</sup> Actalem illo tempore in Marcomannos se praestitit, qui Bohemiam, quae nunc vocatur, incolentes a meridie provinciam Pannoniam attingebant.<sup>4)</sup> Contra hanc gentem nescio qua de causa hostilia molitus rem eo deducere scivit, ut inter Vandalos<sup>5)</sup> et Marcomannos, qui foedere coniuncti erant, bellum exoriretur.<sup>6)</sup> Deinde Danubio transmissio in horum agros descendit, ubi de hostibus, qui a duabus partibus urgebantur, facile victoriam reportavit. Rem sic processisse ex inscriptione Albigaunensi conici potest, quae ei Marcomannici titulum adiudicat.<sup>7)</sup>

eius appellatione imperatori ipsi nomen factum est. Ea, quae dixi, me adducunt, ut nomen „Caracallus“ alteri „Caracalla“ praefendum esse censeam. Cf. Niebuhr, l. c. 356, not. 12.

1) Herod. IV. 7. 1. Spart. Car. 2.

2) Herod. IV. 7. 2.

3) Dio, 77. 20.

4) Mannert, l. c. III 444. Uckert, III, 396.

5) Vandali tum a parte Romanorum finibus adversa Marcomannos attingebant. Cf. Mannert, p. 399; Uckert, p. 422. Zeuss, p. 443.

6) Dio, l. c.: ἐπιγαλοφόνου δὲ ἐπὶ τῷ τοῦ Βαυδίου καὶ τοῦ Μαρκομάνου φίλου ὄντας σιγακρονίαν.

7) Orelli inscriptiones, n. 933. Crebri sunt numi huius anni, qui Antonini victorias celebrant. In dubio autem relinquunt, utrum ad victoriam de Marcomannis an de aliis reportatam gentibus, quibuscumque imperator paulo post arma contulit, respiciant. Quum autem numi

Dum Antoninus in his regionibus versatur, occasio ei data est, ut rebus Quadorum, qui ab oriente Marcomannis finitimi erant,<sup>1)</sup> sese immisceret. Dio enim obiter commemorat, eum regem Gaiobomarum, a populo ipso accusatum, supplicio affici iussisse.<sup>2)</sup> Regnum Quadorum, quod Tiberii tempore exstitit, exinde, ut multis proditur locis, in tutela quadam Romanorum erat. Neque ipso bello Marcomannico, quo haec gens acerrimum se praestitit Romanorum hostem, conditionem hanc extinctam esse, auctoritas, qua Antoninus usus est, demonstrat.<sup>3)</sup>

Eodem tempore cum Iazygibus, qui inter Danubium et Tisicem fluvios habitabant,<sup>4)</sup> arma contulisse ac superior e pugna discessisse videtur. Colligi hoc potest ex Spartiani indicio, qui ei Sarmatici cognomen fuisse affert.<sup>5)</sup> Quum praeter hunc titulum neque rerum scriptores neque ullus alius fons huius rei mentionem faciunt, de causa rationeque certaminis nihil amplius dici potest.<sup>6)</sup>

anni superioris „imp. II“ et, qui huius sunt anni, „imp. III“ proferrant, hoc pro certo haberi potest, victoriam Marcomannicam huius tituli causam fuisse. Nisle, l. c. p. 22 numum, cui illud „imperat. III“ insculptum est, ad victoriam de Gothis reportatam respicere vitiose putat; etenim iam inscriptio illa Albigaunensis titulum illum profert. Cf. Eckhel, VII ad. a. 214. Cohen, l. c. p. 423. seq. nn. 441—444, 449—451, 453.

<sup>1)</sup> Mannert, III, 443. Wietersh. II, 45.

<sup>2)</sup> Dio, 77. 20. „μεγαλοφρόνη, . . . ὅτι καὶ τὸν τῶν Κορίθων βασιλεὺς Γαϊοβόμαρον καταγροηθέντα ἀπεκτόνει.“

<sup>3)</sup> Cf. Tacit. Germ. 42; ann. II. 63; XII. 29 et 30; hist. III. 5 et 21. Dio, 71. 13. Capit. vit. Ant. phil. 14. Uckert, l. c. III. 402 seq.

<sup>4)</sup> Zeuss, l. c. 282. Wieterth. l. c. II. 44.

<sup>5)</sup> Spart. Geta, c. 6.

<sup>6)</sup> Quum Iazyges equitatu praecipue valerent, (cf. Dio, 71. 16. extr. Uckert, III. p. 60) numus, qui imperatorem equo vectum et hastam in barbarum vibrantem praefert, (cf. Eckhel, VII, ad an. 214. Cohen, l. c. p. 425 n. 452) ad proelia tumultuarie cum illis facta respicere videtur, quod idem Nisle l. c. p. 21 putat.

Tillemontius (l. c. p. 212), qui opinatur, cognomen Sarmatici eo spectare, quod Antoninus a Dacis victoriam reportarit, in errore versatur, quia Daci non Sarmatae appellati sunt, sed gens ab his diversissima erat. Probabilius est, quod supra protulij; nam Jazyges a Tacito (annal. XII, 29; hist. III, 5) et Plinio (IV, 12, sect. 25) semper Sarmatae cognominantur, ac postea sub solo hoc nomine in historia occurrunt.

Post res cum Iazygibus gestas Antoninus secundum Danubium ad orientem versus processit et flumine transmissio in Daciam sese contulit,<sup>1)</sup> haud scio an eo comotus, quod provincia haec irruptionibus gentium finitimarum tum perturbata erat. Ut enim ex Dionis parvo indicio conici possumus, illo tempore inter Antoninum atque Dacos, qui in Carpathis montibus sedebant, ad pugnam ventum est.<sup>2)</sup> Procul dubio haec gens in provinciam irruerat, id quod tribus annis post revera factum esse, l. c. expressis verbis legitur.<sup>3)</sup> Nam tempore computato copiaque expeditionum huius anni considerata, minus probabile videtur, Antoninum in illorum sedes impeditissimas longeque ad septentrionem remotas excursionem fecisse. Daci victi ad foedus, quod inierunt, confirmandum obsides dederunt.<sup>4)</sup>

Ad idem hoc tempus et in eandem hanc regionem haud dubie a Spartiano revocatur, qui per occasionem memorat, Antoninum Gothos proeliis tumultuariis devicisse.<sup>5)</sup> Ut nomen Alemannorum sic Gothorum quoque hoc imperatore primum in historia invenitur. Exeunte seculo secundo p. Chr. n. a mari Baltico ad meridiem versus in regiones, quae Ponto Euxino adiacent, profecti, ab oriente tum Daciam attingebant.<sup>6)</sup> Et quia

<sup>1)</sup> Spart. Car. 5.: „Deinde ad orientem profectionem parans, omisso itinere, in Dacia resedit.“

<sup>2)</sup> Dio in vit. Macrin. 78. 27.

<sup>3)</sup> Reimarus Dionis verbis l. c.: οὐ τε Δάκοι λυμνήμενοι τινα τῆς Δακίας . . . offensus pro „Δάκοι“ „Δάκρυγοί“ legendum esse censuit, causam in not. ad l. c. afferens, quod fieri non potuerit, ut Daci in Daciam irruerint. Hanc sententiam Nisle quoque l. c. p. 39, not. XV probat. At nihil his verbis inest, quod cogat, ut lectionem codicibus probatam missam faciamus. Nam Dacos liberos extra provinciam Daciam in montibus septentrionalibus sedisse ex locis his aperte elucet: „Campos et plana Jazyges Sarmatae, montes vero et saltus pulsi ab his Daci . . . tenent.“ Plin. IV, 12. „ὁ δὲ Σαβηνιανὸς καὶ Δάκων τῶν προσόρων μυρίους καὶ διαχιλίους ἐν τῆς οἰκίας ἐκπεσόντας, καὶ μέλλοντας τοῖς ἄλλοις βοηθήσειν, ἐπηγάγετο, γῆν τινα αὐτοῖς ἐν τῆ Δακίᾳ τῆ ἡμετέρας δοθήσεσθαι ὑποσχόμενος.“ Dio, 72. 3. Ab his Dacis liberis tum in provinciam Romanam irruptio facta est. Cf. Uckert, III, 2, p. 67. Zeuss, p. 462, s. v. Lacingi.

<sup>4)</sup> Dio l. c.

<sup>5)</sup> Spart. Car. 19.

<sup>6)</sup> Wietersh. l. c. II, 95. Gibbon, l. c. I, 396. Mannert, III, 414. Zeuss, p. 401.



deinde haec provincia continuis fere irruptionibus huius populi vexabatur, donec post quinquaginta annos ei concessa est, rerum statui sententia maxime convenire videtur, nonnullas catervas illo tempore in Daciam irrupisse ibique Antoninum cum iis congressum esse.<sup>1)</sup> Spartiani autem verba satis indicant, proelia tum inter Romanos Gothosque facta haud magni fuisse momenti. Ceteri auctores Antonini in Daciam profectionem silentio praetereunt, Dione<sup>2)</sup> solo excepto, ex cuius parvo indicio elucere videtur, provinciam non plane in tuto collocatam esse, sed imperatorem prius inde cecisisse, quam hostes penitus repulerit.

Rerum bellicarum, quae in hunc annum inciderunt, Herodianus, ut iam dixi, ne verbo quidem mentionem facit, sed summatim memorat, Antoninum, quum et ipse expeditionum labores subiret, militum favorem sibi conciliasse, nec minus Germanos ad se allicere scivisse, ut multi militatum venerint.<sup>3)</sup> Quocum nuntio Dio consentit, qui ab imperatore Germanos et Scythas in exercitum receptos esse affert.<sup>4)</sup> Eodem auctore cum legatis a gentibus missis frequenter colloquebatur, nullo alio praesente, nisi interpretibus; mandavitque illis, ut, si qua sibi vis inferretur, in Italiam irruerent et Romam peterent. Talia vero eum cum illis populis, quibuscum hoc anno rem

<sup>1)</sup> Wietersh. l. c. II, 182, qui dubitat, utrum Antoninus in Thracia an in Asia minore Gothos invenerit, ex Spartiani verbis (l. c.): „quos ille, quum ad orientem transiit, . . . devicerat,“ efficere videtur, prope Hellespontum illum congressum accidisse. At Spartianum non significare voluit, quo loco pugnatum sit, sed summatim tantum affert, imperatorem, quum ad orientem procederet, in Gothos incidisse. Etenim si iam illo tempore trans Danubium et Haemum montem progressi in Thraciam descendissent, irruptionem tanti momenti scriptores, qui res Gothicas tradiderunt, silentio non praeterituros fuisse verisimile est. Quum autem nihil nisi brevis illa nota hac de re exstet, non modo nihil sententiae supra allatae obstat, sed propter imperatoris in Daciam profectionem propterque Gothorum sedes illi provinciae finitimas aptissima apparet. Cf. Tillem. l. c. p. 210. Nisle. l. c. 38. n. XIV.

<sup>2)</sup> Dio, 77. 16: εἶτα εἰς τὴν Θράκην ἀφίκετο ὁ Ἀντωνίνος μὴδὲν εἶναι τῆς Δακίας φροντίδας.

<sup>3)</sup> Herod. IV. 7. 3.

<sup>4)</sup> Dio, 78. 6.

gesserat, egisse, verbis, quae Dio adiungit, efficitur: „Ne vero eorum quid ad nos emanaret, interpretes statim occidi iussit. Sed id quidem a barbaris ipsis postea cognoscimus.“ Auctor enim per hunc et sequentem annum usque ad id tempus, quo imperator Nicomedia decessit, expeditioni interfuit<sup>1)</sup>.

Dacia deinde relicta Danubioque iterum transmissa Antoninus per Moesiam in Thraciam profectus est<sup>2)</sup>. Ubi quum aliquamdiu versaretur, Macedonia vicina Alexandri amantissimum vehementer commovit. Studium enim, quod a puero in hunc heroem prae se tulerat, adeo tum auctum est, ut plane Alexandrum ludere coeperit. Praeter alias res ridicule gestas, quibus illum eo tempore coluisse atque imitatus esse fertur, phalangem quoque ex solis Macedonibus composuit, more illius Macedoniae armatam, cuius duces Alexandri ducum nominibus cognominati erant<sup>3)</sup>. Idem tum Herodiano auctore ex iuvenibus Sparta accitis alteram formavit manum, quam cohortem Laconicam et Pitaneam vocabat<sup>4)</sup>.

His rebus in Thracia gestis inde castra movit, ut in Asiam transgrederetur. Sed in Hellesponto traiciendo in summum discrimen vocatus est. Tempestate enim subito coorta, navis, qua vehebatur, adeo laesa est, ut in scapham confugere cogere-  
retur. Iude tamen mox a praefecto classis triremi exceptus incolumis periculo evasit<sup>5)</sup>.

Hellesponto traiecto Ilium iter convertit<sup>6)</sup>, ut celeberrimi huius oppidi reliquias viseret et Achillem inferiis celebraret.

<sup>1)</sup> Reimarus, de vit. et script. Dion. p. 1537, §. 12.

<sup>2)</sup> Herod. IV. 8. 1, Dio 77. 16.

<sup>3)</sup> Herod. l. c. Dio 77. 7.

<sup>4)</sup> Herod. IV. 8. 7. De λόχῳ Πιτανίτῃ, quem apud Spartanos exstitisse alii scriptores afferunt, alii negant, cf. Irmisch ad Herod. l. c. Crevierius (l. c. 266) hoc citans addit: il se flattait de transporter en sa personne et dans son armée la vertu des anciens Lacédémoniens. At verisimile est, eum Alexandri studio ductum Spartanos ulcisci voluisse, quos recusasse constat, quominus illo duce expeditioni Persicae interessent, sicut eodem tempore philosophos quoque Aristotelicos criminatus est, quod Aristoteles cum aliis auctor fuisse mortis Alexandri visus esset, et iis convictus aliaque commoda, quibus Alexandriae fruebantur, ademittit. Cf. Dio 77. 7.

<sup>5)</sup> Spart. Car. 5. Dio 77. 16: καὶ τὸν Ἑλλήσποντον οὐκ ἀκινδύνως διαβυλῶν . .

<sup>6)</sup> Herodianum (IV. 8. 8.) secuti, Tillemontius l. c. p. 212. et Nisle p. 23.

Ad tumulum eius floribus ornatum militum decursiones institui atque statuam aeneam eidem poni iussit. Exercitum autem, quasi magnam rem praestitisset aut vetus illud Ilium omnino expugnasset, largio donativo prosecutus est <sup>1)</sup>).

Ceterum Herodiano auctore, quum ibi versaretur, in similem incidit insaniam, qua in Thracia correptus erat. Ut enim Achillem aequiparet et, sicut hic quondam Patroclum, aliquem sepeliret atque coleret, Festo cuidam, qui eo tempore seu morbo seu veneno interceptus decessit, splendidissimas exsequias instituit <sup>2)</sup>).

Ineptiis his peractis Pergamum profectus est, ut Aesculapii, cui deo celebre ibi templum erat, curationibus ad sanitatem recuperandam uteretur <sup>3)</sup>). Quum apud Dionem in vita Macrini legamus, ab hoc imperatore Pergamenis beneficia adempta esse, quae iis Antoninus tribuerat <sup>4)</sup>), verisimile est, eum hac occasione se iis benevolum praestitisse. Quae vero illa fuerint comoda, fontibus tacentibus, erui non potest. Iter deinde ad septentriones convertit et, quum anni finis instaret, copias Nicomediam in hiberna deduxit <sup>5)</sup>).

---

Antoninum primum Pergamum indeque Ilium proficiscentem faciunt. Dio contra l. c., cuius nuntium Crevierius l. c. p. 272. comprobat, imperatorem, Hellesponto trajecto Ilium statim petiisse affert. Huic vero auctori hac in re prae Herodiano fides tribuenda est, quod Dio ipse expeditioni interfuit et iter ab Hellesponto Ilium atque inde Pergamum continuatum etiam pro urbium situ verisimillimum apparet.

<sup>1)</sup> Dio 77. 16. Huc fortasse numi illi respiciunt, qui imperatoris liberat. VIII celebrant. Nam quia sunt huius anni iidemque „imp. III“ praeferrunt, post victoriam, ob quam hic titulus datus est, largitionem illam accidisse necesse est. Cf. p. 29. not. 7; Eckhel ad ann. 214; Cohen l. c. p. 373. n. 84; p. 419. n. 413.

<sup>2)</sup> Herod. IV. 8. 10.

<sup>3)</sup> Id. IV. 8. 8. Dio 77. 15. et not. 108. Reim.

<sup>4)</sup> Dio 78. 20.

<sup>5)</sup> Antoninum Pergami versatum esse numus testis est: Imperator paludatus adstante milite cum labaro sacra facit ante aram Aesculapii stantis pro foro templi. Cf. Eckhel. l. c. ad a. 215. Cohen l. c. p. 388. n. 195. Eidem tamen impressus est tribunatus XVIII, qui cum anno 215 currebat. At vero multa sunt testimonia, quae imperatorem iam anno 214 exeunte Nicomediam pervenisse confirmant. Gruterus p. 122. 1. inscriptionem affert: Messalla et Sabino cos. fratres arvaes convenerunt P . . . nus Imp. Caes. M. Aurelius Antoninus

## V.

*Antoninus Parthis bellum minuitur; Alexandriae magnam caedem facit. a. 215 p. Chr. n.*

Antoninus per menses hibernos Nicomediae versatus est. Quo tempore quae ibi gesserit, quanto favore milites, quam indigne contra tractarit senatores, ea de re Dio, qui ipse his interfuit, audiendus est: „Solebat quidem nobis denunciare, velle se statim post ortum solis ius dicere vel aliud quid negotii publici agere, quum tamen ultra meridiem nos moraretur, saepe etiam ad vesperam, ne in vestibulum quidem admissos sed foris alibi stantes. Postea vero nos plerumque ne salutare quidem amplius ei visum est. Ipse interea curiose aliquid agere, curus agitare, bestias caedere, more gladiatorum pugnare, potare, ebrius esse. Ad haec praesentibus nobis ac videntibus quum alia ciborum genera tum vinum in pateras infusum ad milites, qui interiorum eius custodiam habebant, transmittere. Confectis his rebus nonnunquam ius dicebat“ <sup>1)</sup>). Dum hac ratione tempus terit, nihilo minus mentem eius magna belli consilia agitabant. Nam sibi proposuerat Parthis Armenisque arma inferre, in qua expeditione apparanda per hiemem occupatus fuit. Exercuit enim phalangem Macedonicam, quam antea formaverat, et duas paravit ingentes machinas, quae navibus impositae in Syriam veherentur <sup>2)</sup>). Ad has belli cogitationes nihil eum adduxit, nisi res gestae Alexandri, quem Oriente devincendo aequare animum induxerat. Quin eo dementiae processit, ut scriberet ad

---

Pius . . . ar felicissime ad hiberna Nicomediae etc. Iam vero Dio, qui libr. 77. 8. imperatorem Nicomediae hibernasse affert, alio loco (78. 8.) Saturnalibus, quae medio Decembri mense celebrantur, ibi versatum esse expressis verbis dicit. Illa autem numi controversia unde profecta sit, nescio, fortasse inde, quod Antoninus non multo ante Saturnalia Pergamo Nicomediam pervenit, ita ut, dum Romam perferretur, imperatorem Pergami versari, et a senatu decerneretur, ad hanc commorationem celebrandam numos cudendos esse, annus exierit.

<sup>1)</sup> Dio 77. 17, cf. Spart. Car. 5 extr.

<sup>2)</sup> Spart. Car. 6. Dio 77. 18.

senatum, huius herois animum rursus in suum corpus introiisse <sup>1)</sup>. Neque enim illae gentes ullam belli materiam praebuerant, id quod ex causis, quas sibi ad bellandum fugebat, statuque regni Parthici, qualis tum erat, satis elucet. Quamdiu Antoninus Ni-comediae versatus sit, a Dione docemur, qui refert, eum ibi diem suum natalem, qui prid. Non. April. erat, ludis gladiatorum celebrasse <sup>2)</sup>.

Asia deinde minore peragrata in Syriam profectus est ac primum cum Parthis manus conserere paravit. Identidem antea gens illa bellicosa praedaeque cupidissima irruptionibus in affines provincias factis Romanos ad pugnam vocaverat. Sed postquam Septimius Severus (an. 198) trans Tigrim flumen in terram hostilem progressus, Ctesiphonte regis sede capta, incur-siones eorum ultus est <sup>3)</sup>, provinciam Mesopotamiam infestam esse scriptores non amplius memorant. Ad tutandam firmandam-que hanc imperii partem imperator duabus illis a Marco Aurelio deductis coloniis, Carrhis <sup>4)</sup> et Singaris <sup>5)</sup>, duas alias Rhesaenam <sup>6)</sup> et Nisibim <sup>7)</sup> addiderat, ac praeterea ibi legiones Parthicas primam et tertiam in stativis collocaverat <sup>8)</sup>. Neque vero tam haec praesidia quam regni Parthici infirmitas, qualis tum erat, discordiis intestinis provocata, Romanorum fines ab irruptionibus novis defendisse videtur. Nam ex quo Vologesus III mortuus est, filii eius, Vologesus et Artabanus, inter se de regno contenderunt. Haec vero discordia tum, quum Antoninus Parthis bellum inferre moliebatur, nondum composita esse, sed res sic se habuisse videtur, ut uterque frater rex exstiterit, maior autem regni pars in Vologesi potestate fuerit <sup>9)</sup>.

<sup>1)</sup> Dio 77. 7. Niebuhr l. c. p. 362: Die Idee, das parthische Reich zu stürzen, war ihm auch durch die Thaten Alexanders in den Sinn gegeben worden.

<sup>2)</sup> Dio 77. 9; 78. 6.

<sup>3)</sup> Dio 75. 9.

<sup>4)</sup> Eckhel l. c. III. p. 507.

<sup>5)</sup> Ibid. p. 519.

<sup>6)</sup> Ibid. p. 518.

<sup>7)</sup> Ibid. p. 517; Dio 75. 3.

<sup>8)</sup> Id. 55. 24.

<sup>9)</sup> Valde dubium est, quo statu fuerint hoc tempore res Parthorum. Coniectura tantum, quae supra proposui, assecutus sum. Etenim Dio

Viribus igitur Parthorum ita distractis, Antoninus, opportuna occasione gloriae cupiditatis explendae usus, Vologeso IV bellum denunciavit, causa interposita, quod is recusaret, quominus duos transfugas, Antiochum et Tiridatem, redderet <sup>1)</sup>. Timens autem, ne a fratre opprimeretur, si cum Romanis congressus esset, Vologesus bellum evitare conatus est. Itaque, qui reposcebantur, Antonino remisit, et hoc reverentiae metusque signo contentus imperator belli faciendi consilium in praesens abiecit <sup>2)</sup>.

77. 12. tradit, Vologeso mortuo filios regnum obtinuisse, sed de principatu inter se certasse, nullo tamen fratrum nomine addito, et Antoninum apud senatum se falso iactasse, quod ipse illarum discordiarum auctor esset. Paulo inferius vero (77. 19.) narrat, Antoninum Vologeso cuidam regi Parthorum arma inferre studuisse; itaque sine dubio hic erat unus fratrum illorum dissidentium; nam si quaeritur, quid alteri fratri factum sit, qui supra cum hoc certasse dicitur, et quomodo Vologesus solus hoc loco simplici verbo „rex Parthorum“ induci possit, respondeam, alterum fratrem fortasse ex illo certamine inferiorem discessisse et Vologeso principatum concedere coactum esse. Sed anno fere post devictus frater redintegratis viribus victorem Vologesum repulisse, aut, id quod negare non ausim, Vologesus mortuus esse videtur, quum idem Dio 78. 1, ubi res anno post gestas refert, regem Parthorum Artabanum nominet; hunc autem Artabanum alterum illum fratrem fuisse suspicandum est. Aliam regum seriem Vaillantius (Arsacidarum imperium I. 357.) praebet, qui Vologeso III statim Artabanum succedentem facit, atque accipit, res hic allatas ab Antonino in Artabanum gestas esse, quod mea sententia fontibus non respondet. Cf. Clinton l. c. II. 250; Reimar. ad Dion. 78. 1. §. 2.

<sup>1)</sup> Dio 77. 19. De Antiocho Dio l. c. haec tradit: Erat Cilix natione, qui primum philosophiam Cynicorum simulaverat eaque re plurimum in bello profuerat militibus, quos, quum maximo frigore defecissent, eo confirmavit, quod se ipse in nivem abiecit in eoque volutatus esset. Sed quum ob eam causam a Severo atque ab ipso Antonino pecunia donatus affectusque honore esset, his rebus elatus eum Tiridate se coniunxit simulque cum eo ad Parthum defecit. Cf. Philostr. vit. soph. II. 4.

Quis vero ille Tiridates fuerit, fontes distincte non referunt. Verisimile videtur, quod Vaillantius l. c. p. 357 coniecit, eum Vologesi III fratrem fuisse, qui, quum Severus ad Parthorum irruptionem ulciscendam in Syria versaretur, ad eum confugisse traditur. Erat igitur fratrum dissidentium patruus et post Vologesi fratris inimici mortem a Romanis ad Parthos iterum transfugerat. Cf. Reim. ad D. 77. 12. §. 67.

<sup>2)</sup> Dio 77. 21.

Rebus cum Parthis ita compositis, Antoninus aliquamdiu Antiochiae versatus est. Qua in urbe quid gesserit, ignoramus, nisi quod luxui voluptatibusque eum nimis indulsisse Dio testatur<sup>1)</sup>. Nec multo post inde cessit et in Aegyptum profectus est, itineri praetendens, se cupere urbem ab Alexandro conditam visere et templum Serapidis frequentare. At revera eo se contulit, quod Alexandrinis caedem ac perniciem moliebatur. Ili enim, ut fuere natura dicaces et ad irridendum maxime propensi, ab ipso Antonino se non abstinuerant, sed eum imprimis ob caedem fraternam et vanam heroum imitationem diceris insectati erant<sup>2)</sup>. Quare quantam eius iram in se concitassent, ignari omnem quidem operam navarunt, ut imperatorem honorificentissime exciperent, neque tamen hac re calamitatem imminentem a se deprecati sunt<sup>3)</sup>.

Quum Antoninus urbi appropinquasset, primores civitatis, solempni modo eum excepturi, cum arcanis quibusdam sacris<sup>4)</sup>

<sup>1)</sup> Id. 77. 20. Herod. IV. 8. 15.

<sup>2)</sup> Dio 77. 22. Herod. IV. 8. 16; 9. 1. De Alexandrinorum dicacitate cf. Reimar. ad Dion. libr. 66. c. 8. §. 56. Scharpe, Gesch. Egypt. übers. v. Golowicz, bericht. v. Gutschmid. Leipz. 1862. II. p. 102. 13'. 172.

<sup>3)</sup> Herod. IV. 8. 9.

<sup>4)</sup> Huic Dionis (l. c.) nuntio numus convenit, qui imperatorem praefert paludatum, dextro pede crocodilum calcantem, sinistra hastam tenentem, ad quem Isis accedit, d. spicas, s. sistrum gerens. Idem quum inscriptus sit trib. pot. XVIII, quae cum anno 215 currebat, et hoc testimonio et illis, quae ad sententiam, Antoninum anno hoc ineunte Nicomediae adfuisse, probandam attuli, prorsus Tillmontii (l. c. p. 2'3) rerum dispositio refutatur, qui quidem Antoninum post diem IV. Aprilis Nicomedia discedentem facit, sed et hoc et caedem Alexandrinam in annum sequentem transfert. Qui quomodo illud, etiamsi a numis inscriptionibusque obstantibus discedimus, verisimile putare potuerit, mirum est. Copia enim rerum adhuc gestarum considerata, necesse est accipiamus, Antoninum Alexandriae adesse nisi vergente anno non potuisse. At quia imperatorem ineunte anno 217 necatum esse inter omnes constat, Tillmontius cogebatur praeterea res porro factas in annum suum 216 recipere, scil. Antoninum Alexandria revertisse, Oedroenem civitatem subiecisse, in Armenios, rege prius fraude capto, impetum fecisse, legatos ad Artabanum misisse filiam in matrimonium petitam, Parthorum deinde fines ingressum esse captisque Arbelis et Media late vastata exercitum Edessam in hiberna reduxisse. Haec vero omnia

venienti obviam processere, sed ad convivium comiter admissi interfecti sunt. Deinde, exercitu in urbem immisso, vias domosque a militibus occupari et omnibus locis caedem fieri iussit<sup>1)</sup>. Neque tamen cives solum periere, sed multi quoque peregrini, qui, ut solemnibus celebrandis interessent, in urbem confluerant, nec pauci ex ipsis Antonini comitibus, quum per dies atque noctes caedes continuaretur. Strages autem tum edita tanta fuit, ut Dione l. c. testante ne ipse quidem Antoninus interfectorum numerum ad senatum perscribere ausus sit, et secundum Herodianum vel Nilus cruore illapso rubuerit<sup>2)</sup>. Quam occasionem avaritiae explendae a militibus praetermissam non esse per se elucet; ut Dio refert, bona civium direpta atque deleta sunt, ac ne templis quidem parsum est<sup>3)</sup>.

Dum illa geruntur, Antoninus aut ipse militibus interfuit, aut e templo Serapidis edicta funesta pronuntiavit. Nihilo minus eodem tempore hunc deum multis hostiis adiit, ut corporis animique malis, quae eum premebant, liberaretur. Tum quoque gladium, quo fratrem interfecerat, deo consecravit<sup>4)</sup>.

Sed tantum abfuit, ut illa caede eius ira satiata esset, ut insuper alia ratione incolas vexaret. Postquam omnes peregrinos mercatoribus exceptis urbe expulit, viros doctos, qui in Museo sumptu publico alebantur, odio suo persecutus est, fortasse ea de causa, quod ab iis praecipue cavillationes in ipsum iactatae prodierant. Itaque convictus illos aliaque commoda, quibus fruebantur, iis ademittit. Praeterea civibus ludos publicos spectaculaque interdixit, et ut mutuo civium commercio impedimentum afferret facileque in posterum populum tam aspere tractatum refrenaret, urbem muro duas in partes dividi castellisque muniri iussit<sup>5)</sup>.

inde a mense Aprili usque ad proximam hiemem, id est, intra octo fere menses, per quod tempus ne spatia quidem peragrari poterant, fieri non potuisse, nemo non intelliget. Cf. Eckhel l. c. ad ann. 215; Cohen l. c. p. 388. n. 196.

<sup>1)</sup> Dio 77. 22.

<sup>2)</sup> Herod. IV. 9. 17.

<sup>3)</sup> Dio 77. 23.

<sup>4)</sup> Ibid.

<sup>5)</sup> Ibid. In caedis Alexandrinae descriptione Dionem secutus sum, a quo Herodianus adeo discrepat, ut ab iis relata coniungi omnino nequeant. Hoc referente, Antoninus, postquam urbem intravit, pri-

Sed haec rationes urbis saluti tam perniciosae non diutius steterunt, quam Antoninus vixit. Alexandria a calamitatibus acceptis mox recreata est nec minus quam antea altera urbs princeps imperii mansit <sup>1)</sup>.

Quum Antoninus talia adversus Alexandrinos perpetrasset, castra inde movit et Antiochiam revertit <sup>2)</sup>. Quo quando pervenerit, utrum hoc anno exeunte an initio sequentis, nullum nobis fontium genus prodit. Quum autem non verisimile videatur, eum post iram satiatam in illa urbe miseriae plena diutius commoratum esse, ac praesertim quum iam circiter mensem Maium anni sequentis rem adversus Armenios gesserit, pro explorato haberi potest, hiemem instantem non Alexandriae sed Antiochiae ab eo transactam esse.

---

num templum Serapidis petiit, quem victimis veneratus est. Viso deinde Alexandri momento ac festis diebus celebratis, iuventutem in campum quendam edicto convocavit, causa interposita, quod ex ea phalangem Alexandrinam compositurus esset. Convocatos autem clam milites circumstiterunt atque signo dato inermes una cum parentibus et cognatis, qui aderant, armis invaserunt. Qua re patrata, fossae ductae et mortui et vivi in eas iniecti sunt. Reimar ad Dion. l. c. addit: „Sed Dionem comitem itineris vera rei gestae ratio fugere non poterat; ceteri (scil. Herod. Antiochenus, Suidas, qui hunc secuti sunt) famam incertam sequentes, rei gestae summam locis et temporibus pro ingenio quisque suo accommodasse videntur.“ Quae doctissimi viri verba quamquam in eo corrigenda sunt, quod Dio non nisi usque ad id temporis, quo Antoninus Nicomedia decessit, itineri interfuit, tamen sententia, Dionem hoc loco fide digniore esse, prorsus probanda est. Accuratus enim ac diligentius ab eo singulas res indagatas veraque inquisita esse narratio ipsa demonstrat, quum Herodianus rumorem quendam, a simili illa Alemannorum internecone fortasse profectum, tradidisse videatur. Cf. Spart. Car. 6.

<sup>1)</sup> Tillem. l. c. p. 219.

<sup>2)</sup> Herod. IV. 9. 17; Dio 78. 7.

## VI.

*Antoninus, Osdroene capta, Armeniis et Parthis arma inferi.*  
a. 216 p. Chr. n.

Dum Antoninus Antiochiae versatur, belli consilia, quae aliquamdiu ulciscendi cupiditati cesserant, iterum ab eo recepta sunt. Herodianus affert, cupidum eum fuisse cognominis Parthici cupivisseque Romam literas dare, quasi populos orientales subiecisset. Quo consilio vere ineunte Antiochia egressus primum ad regnum Osdroenorum, quod in superiore Mesopotamiae parte inter Euphratem Chaboramque fluvios situm erat <sup>1)</sup>, cogitationes suas convertit.

Duobus populis potentissimis, Romanis et Parthis, interiecta haec parva civitas nihilo minus libertatem retinere sciverat, quum, prout rerum status postulare videbatur, modo ad hos modo ad illos plus minusve inclinasset. Postquam autem Romani Mesopotamiam sub suam redegerunt potestatem, Osdroeni, eorum finibus fere inclusi, magis se ad eos applicaverant ac praecipue ex Septimii Severi temporibus intima cum iis conjunctione utebantur <sup>2)</sup>.

Sed hac amicitia Osdroeni ab Antonini consiliis ambitiosis defensi non sunt. Postquam eorum regem Abgarum, qui fraude plectus ad ipsum tanquam ad amicum venerat, comprehensum in vincula coniecit, facile ei contigit, ut illam terram in provinciam redigeret. Osdroeni autem eo minus tali conato restitisse videntur, quo licentius ille rex in principes potentia sua abusus erat <sup>3)</sup>. Ad imperium ibi firmandum Antoninus in urbe primaria Edessa coloniam militarem constituit <sup>4)</sup>. Quae urbs quum numis Macrini metropolis laudetur, verisimile est, eam ab eodem Antonino, ut Edessenos sibi conciliaret, in hunc honorem evectam esse <sup>5)</sup>.

<sup>1)</sup> Cf. Forbiger, Handb. d. alt. Geogr. II. p. 528.

<sup>2)</sup> Herod. III. 9. 5, Dio 79. 16.

<sup>3)</sup> Id. 77. 12; Ritter, Erdkunde VII. 2. p. 345.

<sup>4)</sup> Eckhel l. c. III. 510.

<sup>5)</sup> Ibid. p. 514.



Sed Osdroenorum libertas, tali ratione exstincta, nihilo minus paulo post revixit. Ut enim numi docent, imperator Gordianus prolem quendam Abgari gentis in regnum restituit <sup>1)</sup>, eo fortasse consilio, ut paratius sibi contra Persas auxilium ferrent, qui tum Mesopotamia capta affines Romanorum terras infestabant <sup>2)</sup>. Sic restituta haec civitas usque ad aetatem expeditionum cruciferorum perstitit <sup>3)</sup>.

Eandem sortem, quam Osdroeni, etiam Armenii paene passi sunt. Iam diu hic populus aliqua ex parte in Romanorum ditione versabatur, quum inde a Neronis temporibus imperatores ius regem ibi constituendi sibi vindicarent <sup>4)</sup>. Antoninus autem illam terram plane in provinciae formam redigere in animo habuit, ad quod consilium exsequendum eandem inuit rationem perfidam, qua contra Osdroenos usus erat. Vologesum regem et filios eius comiter ad se per literas vocavit, velut discordiam inter eos exortam compositurus, et sic facile in suam potestatem redegit <sup>5)</sup>. Quo facto Antiochum quendam, hominem omni virtute imperatoria carentem <sup>6)</sup>, cum parte exercitus misit, qui Armeniam rege destitutam occuparet. Sed hoc consilium minus prospere cessit. Nam Armenii ad libertatem defendendam arma cepere et Romanis magnam cladem intulerunt <sup>7)</sup>. Nihilo minus a proposito non destitit, sed usque ad mortem bellum persecutus est; num meliore, quam initio, fortuna usus sit, vix contendere ausim. Ipsum enim certam victoriam non reportasse, ex ea re colligitur, quod bellum ei superstes Macrinus etiam occupavit <sup>8)</sup>, et Armenios, quum res ab hoc imperatore componeretur, nihil nisi exiguam praedam et, quae in Cappadocia possederant loca, perdidisse l. c. traditur. Neque Macrinus tam foedam pacem inisset, — reddidit enim omnia, quae Armeniis capta erant, et praedam et urbes illas Cappadociae — si arma Romanorum victricia fuissent.

<sup>1)</sup> Ibid. p. 516.

<sup>2)</sup> Ritter l. c. VIII. 1. p. 135.

<sup>3)</sup> Schlosser l. c. II. 2. p. 451.

<sup>4)</sup> Cf. Mannert l. c. V. 2. p. 189.

<sup>5)</sup> Dio 77. 12.

<sup>6)</sup> Dio 77. 21.

<sup>7)</sup> Ibid.

<sup>8)</sup> Id. 78. 27.

Dux Armeniorum in hoc certamine Tiridates fuisse videtur, unus ex filiis Vologesi, vincti Armeniorum regis, sive is, fraude Antonini divinata, omnino non captus fuerat, sive captus ex vinculis effugerat; etenim loco illo Dionis Tiridates in Armenia libertate fruens inducitur, quum Macrinus de pace agere coepit. Neque quo tempore primum hoc bellum exarsit, latet. Nam quum matrem Tiridatis ad pacem conciliandam ex carcere, in quem sine dubio simul cum Vologeso et filiis coniecta erat, undecim mensibus post dimissam esse, a Dione l. c. tradatur, et pax illa a Macrino mense fere Maio anni 217 <sup>1)</sup> facta sit, initium rei cum Armeniis gestaë a mense Iunio anni 216 repetendum esse elucet. Denique ex hoc ipso loco Dionis colligere possumus, patrem Tiridatis eiusque reliquos filios in captivitate vita decessisse.

Neque multo post, quam bellum cum Armeniis exarsit, quod administrandum, ut dixi, Antiocho commissum erat, Antoninus ipse Parthos subdole circumvenire molitus est. Si Herodianum audimus, Artabanum regem per literas adiit, ut sibi filiam in matrimonium daret, proponens ei, quantum emolumenti ex hac affinitate utrique imperio evasurum esset. Initio quidem Parthus ab eius consilio abhorruit; quum autem Antoninus cupidius instaret et donis ac iure iurando studii sui fidem faceret, eum denique commovit, ut se daturum polliceretur. Specie igitur sponsae abducendae in Parthorum terram ingressus ubique ab incolis honorificentissime exceptus est; itaque usque ad planitiem quandam haud procul ab urbe regia sitam processit. Eo enim Artabanus, multis comitantibus, venienti obviam ierat, filiae sponsum benigne excepturus. Praeterea magna quoque hominum multitudo eodem confluxerat, studio adducta, ut Romanorum imperatorem viderent. Dum autem omnes ad solemniam intenti sunt, Antoninus signo dato barbaros a militibus circumveniri et concidi iussit. Qui quum omnes inermes venissent et equis ad pastum dimissis vestibus longis fuga prohiberentur, praeter regem, qui equo impositus periculo evasit, omnes fere ad unum perierunt. Terra deinde vastata Antoninus milites caedendo rapiendoque defatigatos in Mesopotamiam reduxit.

<sup>1)</sup> Cf. Vaillant l. c. II. 282.

<sup>2)</sup> Herod. IV. 10. 2, 11. 1—13.

Hæc fere summa est expeditionis Parthicae, qualem Herodianus fusius describit. Verum si quis animum eo intenderit, quam personam Antoninus contra Osdroenos et Armenios egerit ipsamque narrationem accuratius perspexerit, eum non effugiet, illam non modo non verisimilem sed plane fictam ac fabulosam apparere.

Primum enim non probabile videtur, Antonino contigisse, ut tam facile Parthum in insidias pelliceret, postquam Abgarum et Vologesum reges perfidissime tractarit. Immo vero, ut Dio <sup>1)</sup> rebus illis traditis addit, ac iam per se elucet, sic se gerendo eo rem perduxerat, ut non amplius quisquam ei ulla in re fidem haberet. Imprimis autem Parthum tum animum ad cavendum attendisse, iam ex similitate, quam duo hi populi nunquam non exercebant, satis colligi potest. Huc accedit, quod ipsum illud postulatum tam mirum neque unquam antea auditum, Romanorum imperatorem barbari filiam in matrimonium petere, summam Artabani suspicionem commovere necesse fuit. Iam vero quod res maximi momenti est, plane absurdum apparet, regem Antonino concessisse, qui toto cum exercitu ad sponsam abducendam in mediam ipsam imperii partem procederet eundemque, omni suspicione abiecta, quum armatos Romanos conspiceret, solemnibus celebrandis totum se dedisse.

Quibus reputatis adducor, ut hoc loco Dionis prae Herodiano fidem habendam esse censeam <sup>2)</sup>, cuius narratio multo simplicior hæc est.

Antoninus Artabanum regem adiit, ut filiam sibi in matrimonium daret <sup>3)</sup>. Hic vero haud ignorans, verbo quidem eum

<sup>1)</sup> Dio 77. 12.

<sup>2)</sup> Muratori l. c. I. 611; Schlosser l. c. p. 51; Tillem. l. c. p. 220.

<sup>3)</sup> Dio 78. 1. Apud auctorem, ex quo et librum cit. et multos alios tantum a Xiphilino excerptos exstare constat, legitur: *ὅτι οὐκ ἠθροῦσαν αὐτῷ ὁ Ἀρτάβανος τὴν θυγατέρα μησηταίων ἀρταβάνου . . .* Zonaras contra (XII. 12. p. 563. ed. Niebuhr.) qui idem Dionis opus excerpserit, rem sic tradit: *ὅτι ὁ Ἀρτ. τὴν θυγ. ἑαυτοῦ αὐτῷ μησηταίωνος οὐ παρὶσχι ταύτην αὐτῷ . . .* Illud sibi vult: quod Art. ei, qui filiam ambierat etc.; hoc vero non nisi: „quod Art., quamquam ei (scil. Anton.) filiam desponderat etc.“ verti potest. At Zonaras hic errare vel potius Dionis ipsius verborum minus accurate memipisse videtur; etenim significationem „despondere“ activum solum, *μησηταίων*, nunquam medium habet. Cf. Passow, Lexic. s. h. v. A Dione vero in

nuptias petere, re autem id agere, quo facilius consilia sua Parthis funesta exsequeretur, affinitatem optatam recusavit. Quae causa interposita Antoninus in eam regionem, quae Mediam attigit, de improviso irrumpens terram vastavit, castella multa diruit, ipsa Arbela cepit ibique eo ultionis processit, ut ne sepulcris quidem regum parceretur.

Acie vero tum, ut Dio ibidem affert, decertatum non est, quum Parthi ad pugnam minime parati in montes et trans Tigrim flumen profugerent. <sup>1)</sup> Neque tamen hoc scriptoris nuntio impedimur, quin accipiamus, nonnullas Parthorum catervas cum Romanis terram pervagantibus passim manus conseruisse, id quod Spartiani verba: „tumultuarie cum Parthorum satrapis manum contulit,“ sibi velle videntur. <sup>2)</sup>

His rebus peractis Antoninus in Mesopotamiam reversus exercitum Edessam in hiberna deduxit. Et quamquam eius res gestae latrocinium verius quam expeditio appellari poterant, nihilo minus literas Romam ad senatum dedit, victorias se splendidissimas a Parthis reportasse. Qui quidem haud ignorans, quid actum

hac ipsa re enarranda formam *μησηταίων* usurpatam esse, ex consensu horum excerptorum elucet; neque tamen Dionis eiusmodi vitium contra loquendi usum tribuere possumus.

<sup>1)</sup> Reimarus pro *ἵς τὰ ὄρη καὶ ἐπὶ τὸν Τίγρι* hoc *ἵς τὰ ὄρη τὰ ἐπὶ τ. Τ.* legendum esse censet, addens: quomodo trans Tigrin fugerent Parthi, qui trans Tigrin erant? At verba sine ulla causa in dubitationem vocari videntur. Ex Dionis loco, quo de Arbelis regionibusque, quae ad Mediam spectant, sermo est, elucet, Antoninum per terram, cui Adiabene nomen erat, circumvagasse. Ab occidente ea partim Mesopotamiam, partim Armeniam attingebat, ita ut Tigris flumen eam fere praeflueret. Cf. Mannert, l. c. V. 2. p. 450. Nonne, ut alii incolarum ad orientem versus haud scio an in montes, qui non procul ab Arbelis oriuntur, (Cf. Id. ibid. p. 453) confugerunt, sic alii magis ad occidentem spectantes trans Tigrim flumen ad Armenios, praesentim qui et ipsi cum Antonino in bellum impliciti essent, profugere potuerunt? Cf. Vaillant, l. c. I. p. 376. Muratori, l. c. I. p. 612.

<sup>2)</sup> Spart. Car. c. 6. Ad eiusdem auctoris verba, quae citatis antecedunt, „Deinde per Cadusios fines et Babylonios ingressus,“ quod attinet, cum Antonini itinere conciliari nequeunt; atque observationem quam plane indigni sint, ex ipsis elucet, quum alterum nomen ad oram maris Caspii, alterum ad inferioris Mesopotamiae partem spectet. Cf. Mannert, l. c. V. 2. p. 129.

esset, tamen metu et assentatione commotus omnes ei victoriae honores et cognomen Parthici decrevit.<sup>1)</sup>

## VII.

*Antoninus per sicarium opprimitur. a 217 p. Chr. n.*

Clade illa accepta Parthi magis lacessiti quam deterriti erant. Immo et imperatorem et eius milites, ut Dio<sup>2)</sup> refert, despiciere coeperunt, quod eos quum corpore tum animo luxu laboribusque enervatos videbant. Itaque per hiemem impigre bellum paraverunt, ut primo vere Romanis ipsi arma inferrent atque eorum perfidam irruptionem ulciscerentur. Nec minore studio Antoninus, dum Edessae hibernat, quae ad bellum erant necessaria, providit.<sup>3)</sup> Quod tamen redintegrare ei non licuit; nam priusquam exortum est, per insidias interii.

Caedis auctor Macrinus, alter praefectus praetorio, fuit. Qui quod a victu cultuque militis, quo imperator maxime delectabatur, abhorrens elegantiori vitae generi indulgeret, eius invidiam in se contraxerat. Atque eo Antoninus processit odii, ut palam saepe illum tanquam imbellem et ignavum illuderet mortemque ipsam identidem minitaretur. Nimirum propter hanc asperitatem Macrino ulciscendi consilia orta sunt, quae ut exsequi maturaret, novo sibi instanti periculo adductus est.<sup>4)</sup>

Herodiano<sup>5)</sup> referente Antoninus, semper sibi ratus insidias fieri, pro sua superstitione vates omnis generis ad se convocavit, ut ab iis de sorte sua doceretur. Quos vero quum assentatione seduci ac minus fide dignos esse putaret, Materniano, urbis praefecto, per literas mandavit, qui astrologis magisque

<sup>1)</sup> Herod. IV. 11. 13. Cf. Eckhel, VII p. 218. Cohen, l. c. III p. 408 n. 354 seq.

<sup>2)</sup> Dio 78. 3.

<sup>3)</sup> Id. c. 4. Spart. Car. 6.

<sup>4)</sup> Herod. IV. 12. 1.

<sup>5)</sup> Id. IV. 12. 6.

consulendis exploraret, quis sibi esset periculosus. Hic paulo post Macrinum talem per literas denunciavit, quem nuntium pro-stremum Dio<sup>1)</sup> quoque cum Herodiano consentiens profert. Sed quum auctor ille, superstitioni valde obnoxius, Maternianum a vate quodam Africano illud accepisse tradat, ab Herodiano in dubio relinquitur, utrum ille a fatidicis edoctus sit, an id tantum egerit, ut Macrinum in capitis periculum vocaret. Sin autem hic inter ficta veraque diiudicamus, illud Herodiani pro explorato haberi potest, Maternianum sive invidia commotum sive quod nescio qua de causa cum Macrino simultatem ageret, eius perniciem molitum esse. Et quum in illo vaticinio, cuius Dio mentionem facit, solam calliditatem humanam subintelligamus necesse sit, probabile videtur, Maternianum vatis auxilium sibi comparasse, quo facilius criminationi fidem faceret.<sup>2)</sup>

Sed priusquam fatales illae Materniani literae ad Antoninum pervenerunt, Macrinus, quid contra se ageretur, cognovit, qua in re Dio et Herodianus inter se consentiunt, etsi, quo pacto id factum sit, alter altera ratione enarrat.

Si Dionem audimus, Antonini iussu omnes literae non ad ipsum recta via sed prius Antiochiam ad Iuliam matrem perferrebantur. Huius enim erat, eas secernere, ne ad imperatorem rebus bellicis intentum nisi res gravissimae pervenirent. Et quum etiam Materniani indicium hac afferretur via, interea fieri potuit, ut Iulius Ulpianus quidam, qui, quid ageretur, cognoverat, per literas recta via missas Macrinum amicum certiorum faceret.<sup>3)</sup>

Herodiano testante Materniani literae revera ad Antoninum pervenerunt; allatae autem sunt eo ipso tempore, quo ille ad aurigandum se comparabat. Quare eas Macrino, praefecto praetorio, inspiciendas tradi iussit, qui, si quid esset maioris momenti, sibi renuntiaret, sin minus, necessaria exsequeretur.

<sup>1)</sup> Dio 78. 4.

<sup>2)</sup> Schlosserus l. c. p. 52 refert, secundum nuntium verisimiliorem Maternianum explorasse, a Macrino de sua et imperatoris sorte astrologos vatesque consultos esse, id quod fontium probari testimoniis non invenio.

<sup>3)</sup> Dio 78. 4.



Itaque factum est, ut Macrinus literis Materniani perlectis perniciem sibi imminemem cognosceret.<sup>1)</sup>

Utri narrationi hoc loco plus fidei tribuendum sit, difficile est iudicatu, quum scriptor uterque aequalis fuerit, neque ipsa in narratione una aut altera quidquam inesse videatur, cur alterutram praeferamus. At enim uterque scriptor vera prodidisse potest. Nihil enim obstat, quin duos illos nuntios coniungamus, ut Macrinus non solum ab amico de suo periculo certior factus sit, sed etiam illas Materniani ad imperatorem datas literas in ipsius manus inciderint.

Utcunque sese res habuit, constat, Macrinum, quantum sibi periculi instaret, antea comperisse. Itaque suam ipsius perniciem caede imperatoris prohibere statuit. Atque eo magis sibi putavit maturandum esse, quod Serapio quidam Aegyptius, qui haud scio an, quae consilia ageret, suspicatus esset, Antoninum brevi moriturum et Macrinum successorem esse palam edixerat.<sup>2)</sup> Inter eos, quos ille in consilii societatem deduxerat, praecipue Martialis quidam nominatur, qui Antonino graviter succensebat, quum Herodiano<sup>3)</sup> auctore fratrem eius temere supplicio affecisset ipsumque per contumeliam imbellem et Macrini amicum saepius appellasset. Dio odii causam tradit, quod ille centurionis munere petito repulsam tulerat.<sup>4)</sup> Flagrans igitur ulciscendi cupiditate Macrini praemiis promissionibusque facile adductus est, ut, simulac posset, facinus se patraturum polliceretur.<sup>5)</sup>

Occasio opportuna ei oblata est, quum Antoninus Edessa, ubi hibernabat, Carrhas sese contulit, ut templum deae Lunae visitaret.<sup>6)</sup> Medio in itinere e conspectu equitum, quos secum

<sup>1)</sup> Herod. IV. 12. 11.

<sup>2)</sup> Dio 78. 4.

<sup>3)</sup> Herod. IV. 13. 1.

<sup>4)</sup> Dio 78. 5. Quem Herodianus l. c. *κατονώτατον*, eum Dio l. c. *ἐν τοῖς ἀναλήτοις στρατιώταις* nuncupat. Quae inter se contraria eo fortasse conciliantur, quod evocati inter milites gregarios saepe centurionum munere fungebantur, Martialis autem inter ipsos evocatos vel praetorianos centurio fieri cupivit. Cf. Reim. ad Dion. l. c.

<sup>5)</sup> Herod. IV. 13. 4.

<sup>6)</sup> Dio l. c. praebet: *ἕξορμήσαντα ἐξ Ἐδέσσης ἐς Κάρρας*, quocum Eusebius (chron. ad. a. 217) et Aur. Victor (epit. 21.) consentiunt. His testibus Herodianum IV. 13. 7, qui imperatorem Carrhis versatum

duxerat, necessitati pariturus recessit, quo temporis momento usus Martialis, quum nescio quid praetendens appropinquasset, pugione iugulum eius confodit. Sed et ipse facinus statim capite luit. Aufugiens enim pugione, quo rem patrarat, proditus a Scytharum uno, qui cum imperatore erant, iaculo transfixus est.<sup>1)</sup>

Quo die et quot annos natus Antoninus interierit, a Dione literis mandatum est; tradit eum a. d. VI. Idus Apriles interfectum esse, quum annos undetriginta et quatuor dies haberet, quoniam prid. Non. April. (scil. a. 188) natus esset.<sup>2)</sup> A quo auctore dissidentes ceteri eius aetatem multo longius extendunt;<sup>3)</sup> sed falsa eos prodidisse et ab aliis et postremo a Wietersheimio ad persuadendum accommodate dictum est;<sup>4)</sup> quam ob rem ad sententiam Dionis firmandam pluribus supersedere mihi posse videor.

Quod ad diem supremum attinet, solus Spartianus<sup>5)</sup> Dioni adversatur, referens: „die natalis sui, VIII. Idus Aprilis, ipsis Megalensibus<sup>6)</sup> . . . interemptus est.“ At enim Dio quum natalem tum supremum diem tam accurate et his indiciis tam convenienter vitae tempus tradit, ut aequali et senatori prae Spartiano, qui in annis constituendis ne sibi quidem ipsi constet,<sup>7)</sup> fidem tribuere cogamur.

Iam restat, ut addam, quo animo et populus et milites mortem imperatoris tulerint. Nece patrata corpus crematum et

et inde ad templum Lunae deae haud procul distans esse profectum affert, errare censeamus necesse est.

<sup>1)</sup> Dio l. c. Herod. IV. 13. 10. Spart. Car. 6 et 7.

<sup>2)</sup> Dio 78. 5 et 6.

<sup>3)</sup> Consentiant fere Aur. Victor epit. 21 et Zonaras I. XII p. 614, quorum ille annos triginta, hic undetriginta indicat. Spart. Car. 9. Eutrop. VIII, 20. Euseb. chron. ad. a. 217. Cassiod. a. h. a. quadraginta tres referunt; chron. Alex. vel ad sexaginta annos eius vitam extendit.

<sup>4)</sup> Wietersh. II. 174. not. 132. Tillem. l. c. p. 394 n. VI.

<sup>5)</sup> Car. 6.

<sup>6)</sup> Nota „ipsis Megalensibus“ Dioni non adversatur. Incipiebant enim Megalenses prid. Non. April. et per novem dies continuos celebrabantur. Cf. Eckhel, l. c. VII. p. 217.

<sup>7)</sup> Cf. Spart. l. c. et Sev. 4 et 16.

cinis in urnam collectus Antiochiam ad Iuliam matrem perlatus est.<sup>1)</sup> Postea Macrinus, qui imperator successit, reliquias Romam, ut Antoninorum monumento inferrentur, mitti iussit.<sup>2)</sup> At nocturno tempore in urbem ferrentur necesse fuit, ne vel in eas populi ira erumperet. Quae quanta fuerit, nuntius mortis quum allatus esset, cognitum est. Omnes enim imprimis senatores odium metu antea coercitum adeo effuderunt, ut omnibus funestissimis mortuum prosequerentur. Ne vero publice infamia notaretur, militum animo, qualem in Antoninum prae se ferebant, prohibitum est. Nam quum intelligerent, Macrinum haudquaquam se eadem tractare liberalitate, qua ab illo assuefacti erant, mortuum desiderare coeperunt. Horum impulsu Macrinus concessit, ut inter deos ille referretur, quem honorem senatus nimirum, armis tum dominantibus, confirmavit.<sup>3)</sup>

---

<sup>1)</sup> Herod. IV. 13. 17.

<sup>2)</sup> Dio 78. 9. Spart. Car. 10. Victor, de caes. XXI.

<sup>3)</sup> Dio l. c. Spart. Car. 11. Capitol. Macrin. 5 et 6. Numis, qui inscripti sunt: „consecratio“ hoc firmatur. Cf. Cohen, l. c. p. 363. n. 19.

---